



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Cap. VI. De jure deliberandi, inventario, petitione, aditione, repudiatione, abstinentia & renunciatione hæreditatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

officium Pastorale Episcopi, ratione quorum Episcopo debetur illa portio. Unde talia loca exempta sunt intra Diocesim, non tamen de Diocesi, ideoque subtracta iuribus Episcopalibus seu spectantibus ad legem Diocesanam Episcopi, quibus continetur portio Canonica per textum. *c. conquerente de off. Ordinar. & Gl. ibid. v. mortuuariorum.* utpote quibus una cum exemptionis privilegio inducta à solvenda illa portione liberatio; quam tamen liberationem non participare Capellas istiusmodi locis exemptis per unionem incorporatas, nisi & ipsa per se ab Episcopi jurisdictione exempta & Monasteriis illis pleno jure subiecta essent, prater AA. opposita sententia (inter quos est Laym. *L. 3. v. 5. c. 12. num. 12.*) astitit Wiestner. *h. t. n. 268.* citans *c. ex ore de privileg.* Ubald. *cit. 4. q. 5. § 8.* Tambur. *de jur. Abb. Tom. 1. d. 16. q. 13. in fin.* Computandum quoque quò ad hanc liberationem à solvenda hac portione horum locorum exemptorum tempus, non facti testamenti seu legati, sed mortis testatoris, seu legantis, ita ut, licet tempore conditi testamenti exempta non fuerint, sint tamen exempta tempore mortis testatoris, fruuntur tamen hoc privilegio. & è contra, si hoc tempore sint subiecta, etiam tempore facti legati fuerint exempta, teneantur portionem solvere. Ubald. *l. c. q. 7. n. 3.* Barbof. *cit. allegat. 16.* Wiestn. *n. 269.*

8. Quintò de legatis à Diocelano hujus Diocesis v. g. Trevirensis factis alicui Ecclesie Diocesis Colonienfis non debetur portio Archiepiscopo Trevirensi, sed Colonienfi; eùm ea præstanda, non ratione personæ legantis, sed ratione jurisdictionis & curæ pastoralis, cui Ecclesia legataria subiecta,

Wiestn. *n. 270.* cum Azor. *l. c. c. 12. q. 12.* Barbof. *l. c. n. 29.* & communi.

9. Sextò non debetur ex legatis Ecclesie ad nullum certum finem, dum dicta obligationi ea solvendi derogatum est per speciale privilegium Pontificis, vel contrariam consuetudinem aut præscriptionem, qualiter eam omnino sublatam esse in locis pluribus testantur passim AA. & hac ratione ei derogari posse extra dubium est. nam etiam Tridentina Synodus. *sess. 25. c. 13. de reformat.* statuat eam persolvendam non obstantibus quibuscunque privilegiis, id tamen non intelligendum de privilegiis Apostolicis multo tempore ante Trident. obtentis, sed de obtentis non multo tempore ante v. g. 40. annis, quibus derogat. Trident. Barbof. *de offic. Episc. allegat. 86. num. 17.* & in *cit. c. 13. Trident. num. 2. § 5.* Pirh. *h. t. num. 95.* Wiestn. *num. 263.* derogari ei etiam posse hodieum vi consuetudinis vel potius præscriptionis quadragenariae liquet ex *c. de quarta de præscript.* ex ea etiam ratione; quia ea portio est de iuribus Episcopalibus, contra quæ valet præscriptio juxta *c. auditis. de in integ. restit. § c. cum venerabilis. de except.* Requirit tamen ad talem præscriptionem præter lapsam 40. annorum etiam titulum; eò quòd Episcopo. eam petenti jus commune assistat, vetans eam auferri & occurrens fraudibus, quibus ea auferri possit. *c. officii. § c. requisisti. h. t.* rectius defendunt Ubald. *l. c. c. 2. n. 14.* Sylv. *l. c. q. 2. § 3.* Barbof. *c. 19. n. 6.* Pirh. *n. 95.*

Sufficere autem ad eam sine titulo tempus immemorabile extra dubium est juxta *c. 1. de præscript. in 6.*

## CAPUT VI.

### De Jure deliberandi. Inventario, petitione, aditione, repudiatione, abstinentia & renunciatione hæreditatis.

Quæst. 730. Quid sit jus deliberandi, cur & unde, & quibus concessum.

1. **R** Esp. Ad primùm. Cùm hæres pro una eademque persona cum defuncto habeatur. *L. 2. §. 2. de stipul. prator.* adeundòque hæreditatem in omne jus illius, tam activum quàm passivum succedat. *L. 37. ff. de aduend. vel omni. hæredit.* idque, etiamsi onera vires hæreditatis superent. *L. 8. ff. eod.* jus deliberandi in præsentem materia est facultas ei concessa intra certum tempus in ea, quæ hæreditas importat, an & quibus gravata debitis aliisve oneribus, inquirendi, differendique interea resolutionem, num eam admittere, an aliis relinquere velit. sumitur ex *L. 5. § 8. ff. l. 22. §. 2. c. de jure deliber.*

2. Resp. Ad secundum & tertium: causa efficiens hujus juris seu facultatis differendi aditionem & deliberandi remota est Jus Civile, proxima Princeps vel Magistratus loci, ubi res hæreditaria vel major earum pars posita est, à quo hæc facultas petenda & obtinenda est. *cit. l. 8. § 22.* Lauterb. *in ff. de jur. delib. §. 3.* & quidem à Magistratu non nisi ad novem menses, à Principe ad annum. juxta *L. fin. c. de jur. delib.* computando utrumque hoc tempus à die scientiæ delatæque hæredi hæreditatis. Muller.

*in ff. de jur. deliber. ib. § 2.* per citatam ab eo *L. cum antiquioribus. c. eod.* idque propter utilitatem creditorum aliorumque, quorum interest, aditionem non differri diutius. quibus proinde instantibus, hæres vel statim adire debet hæreditatem, vel tempus ad deliberandum petere; eùm aliàs nullo urgente intra 30. annos eam adire possit, ut Lauterb. *l. c. juncto §. 6.* per *L. 9. c. de jur. delib.* Hoc tamen tempus deliberandi primùm incipere non nisi elapsis novem diebus post mortem illius, de cujus hæreditate agitur; eùm ante elapsos hos dies, utpote tempus concessum ad luctum, nulli liceat hæres defuncti molestare per *Auth. Sed neque. c. de sepulch. viol.* ait Reiffenst. *h. t. num. 508.* Causa impulsiva seu motiva ad introducendum hoc jus duplex est; favor hæredum nimirum, ne vel damnosam hæreditatem adeundo temerè, vel lucrosam inconsulto repudiando incurrant damnum. *§. 5. Inst. de hæred. qual. l. 22. c. de jur. delib.* Lauterb. *§. 3. § 6.*

3. Resp. Ad quartum: conceditur hoc privilegium hæredibus non tantum extraneis, sed etiam suis. *cit. §. 5. § L. 7. 8. 9. ff. l. 10. c. de jur. deliber.* non obstantem, quòd sui, utpote hæres necessarii, jam actu sint hæreses; quia id intelligendum de actu primo; nam ut in actu secundo fiant hæreses, opus immixtione, in ordine ad quam conceditur illis

illis deliberatio. *L. 8. ff. l. 2. §. 22. c. de jur. delib.* Item hæredibus omnibus tam institutis quam substitutis, aut etiam ab intestatò venientibus *L. 10. ff. §. l. 19. c. de jur. delib.* Item conceditur tam majoribus, quam minoribus & pupillis, quorum nomine curator & tutor deliberat. *cit. §. 5. junctâ l. 7. §. 5. ff. de minorib.* Item hæredibus hæredis; ita ut non tantum sui, sed etiam extranei hæredes, transmissione Justiniana instante, annali tempore ad deliberandum concessò decedentes, et si scientes hereditatem sibi delatam, & urgentibus creditoribus tempus nullum petierint, jus deliberandi transmittant ad hæredes, iisque spatium, quod superest pro deliberando & adeunda vel omittenda hereditate, relinquunt. *L. 19. in fin. c. de jur. delib.* Lauterb. *ibid.* §. 4. & 6. Muller. *ibid.* *ib.* §. 3. *lit. a.* intra quod spatium hæres, in quem facta transmissio, tenetur adire, aliàs repellitur. *cit. l. 19.* Muller. *l. c.* Si autem hæres institutus ante vitâ decesseris, quam se hæredem institutum cognoverit, adeoque priusquam tempus ad deliberandum petere potuerit, nullo modo transmittit dictum jus. Muller. *ibid.* sed illius hæredi consulitur per restitutionem in integrum ex persona defuncti illi concedendam. *L. 86. ff. de acquir. vel omit. hered.* Carpz. *ibidem.* num. 10. Brunem. ad *L. 7. c. de jur. delib.* num. 4. Lauterb. *ibid.* §. 4.

*Quæst. 731. Quinam sint effectus hujus facultatis deliberandi concessæ.*

**R**Esp. Sunt ferè sequentes. Primus, quòd durante illo tempore deliberationis, creditor hæreditarius pignus sibi à defuncto relictum distrahere nequeat; neque hæres deliberans propterea suo nomine conveniri. *L. 30. §. 71. ff. ad S.C. Trebell.* Lauterb. *l. c.* §. 7. Secundus; quòd hæres nihil in bonis hæreditariis agere, vel actiones exercere, aut quicquam de iis alienare possit, nisi causâ cognitâ, & cum decreto Magistratûs. dum v. g. quædam ex bonis hæreditariis deteriorarentur, vel hæreditati redderentur onerosa. Lauterb. *l. c.* vel etiam æ alienum sub pœna aut pretiosis pignoriibus deberetur; aut necessitas vel summa utilitas aliud exigeret. *L. 5. 6. 7. de jur. alien.* quò etiam referri alimenta filio deliberanti debita, ait Lauterb. *l. c.* per *L. 9. ff. eod.* Tertius; quòd, si tempore concessò ante voluntatis declarationem hæres non repudiet hæreditatem, eandem adiuße censeatur, & omnibus defuncti creditoribus in solidum teneatur. *cit. l. 22. §. 14.* licet in hoc casu, adita etiam hæreditate, sibi consulere possit beneficio inventarii; cum nemo, nisi cum inventario adire velle hæreditatem præsumatur. *cit. l. 22. §. 2. & ibi.* Brunem. num. 10. Lauterb. *l. c.* ita ut, si inventario factò eam adierit, non teneatur creditoribus vel legatariis ultra vires hæreditatis, de Lugo. *de 7. §. 7. Tom. 2. d. 24. num. 228.* Si tamen substitutus hæreditatis aditionem postulasset, & hæres intra tempus definitum eam non adierit, & se pro hærede non gesserit, repudialle eam censeatur, ita ut ad eam admittatur. *L. 69. ff. de acquir. vel omit. hered. & ibi.* Brunem. n. 4. ita ferè Lauterb. *l. c.*

*Quæst. 732. Inventarium, de quo hic, quid sit, quæ ejus faciendi necessitas.*

**R**Esp. Inventarium (quod pluribus quoque aliis nominibus venit, ut videre est apud Muller. in *ff. de jur. deliber. ib. §. 4. lit. a.*) hæreditatis, seu pro ut distinctum ab aliis inventariorum

speciebus (quales sunt inventaria, dotale, curatorum, tutorum, creditorum, Fisci, usufructuarii, orphanotrophorum, Prælatorum, aliorumque, qui rationes suæ administrationis conficere debent, de quibus Hunn. in *encycloped. Jur. p. 4. tit. 17. c. 1.*) sic breviter cum Gl. in *Auth. de hered. falcid. c. 1. §. si verò adsum.* definiti potest: scriptura, in qua res inventæ in hæreditate defuncti describuntur. explicatiùs verò, quòd sit scriptura seu solenne instrumentum ab hærede rite & iusto tempore confectum, res omnes in hæreditate repertas exhibens, sine periculo hæredis, seu eum liberans ab onere hæreditario. ita ferè Muller. *l. c.*

2. Dicitur primò: *scriptura seu instrumentum*, utpote quod rite & solenniter conditum probationem facit, & inter instrumenta publica numeratur. *L. fin. §. fin. autem, c. arbit. tutel.* Muller. *l. c.* adeoque, ut Idem. *Th. 56. lit. β.* Regulariter pro eo est præsumptio. Ad legitimam autem & solennem ejus confectionem requiruntur sequentia. Primò regulariter confici debet per Notarium. *L. fin. §. 2. c. de jur. delib.* & quidem juxta Recept. Imper. de anno 1512. *tit. de Notar. §. 15.* Lauterb. in *ff. eod.* §. 11. Vel saltem in præsentia Notarii publici. Hunn. *l. c. c. 2. n. 28.* Tholof. *Syntag. Jur. L. 46. c. 3. n. 10.* Muller. *l. c. ib. §. 5. lit. δ.* ubi: ex juris necessitate adhibendus est Notarius; cum solâ testium præsentia suppleri nequeat. *L. fin. §. 2.* Secundò vocatis & præsentibus creditoribus, legatariis, fideicommissariis, de Lugo. *loc. paulo post. citand.* Hunn. *l. c.* Schneidev. ad *§. extraneis. Inst. de hered. qual. n. 13.* dum nimirum, ut ait Lauterb. §. 3. citatâ pro hoc *Novel. 1. c. 2. §. 1.* hæres veretur propter creditores & alios non solum damnificari, sed etiam nihil indelucrari. quamvis addat, hodieum non solere vocari legatarios & creditores, dum dictum periculum non subest. Tertio loco eorum, si absint, adhibitis tribus testibus idoneis. Jafon. ad *cit. L. fin. num. 4.* Sichard. *ibid. num. 4.* Hunn. *l. c.* in eadem Civitate substantiam possidentibus. Lauterb. *l. c.* Unde satisfacere possint, si aliquid sinistrè fieri permiserint, ut de Lugo. Quarto in locis multis necessariò adhibitis insuper juratis rerum æstimatoribus ad quantitatem patrimonii investigandam teste Lauterb. Quintò requiritur, ut absoluto inventario hæres propria manu subscribat, & fateatur hanc esse quantitatem hæreditatis, omnia in eo inventa sine dolo & fraude conscripta. et si scribere nesciat, adhibito ad hoc loco sui Notario ad hoc specialiter rogato, vel saltem alio Notario, qui subscriptioni alterius intersit; ipso hærede signum crucis apponente *cit. L. fin. & Novel.* quo tamen non appposito, non vitiabitur inventarium, ut Lugo cum Molin. Quamvis hæc subscriptio reliquaque dictis LL. requisita hodieum ubivis locorum non ita accuratè observentur, sed in plurimis locis specialia statuta aliæque consuetudines inveteratæ vigeant teste Lauterb.

3. Dicitur secundò: *iusto tempore confectum*: quod, dum hæredes sunt præsentés & hæreditas præsens, est trium mensium à die scientiæ delatæ hæreditatis, & non à die aditæ hæreditatis. Muller. in *ff. de jur. deliber. ib. §. 4. lit. y.* citatis Coler. de *process. execut. p. 2. c. 3. num. 398.* Carpz. *p. 3. c. 33. d. 13.* &c. computando singulos menses per dies. 30. quod spatium regulariter in Jure civili appellatione mensis intelligitur. *Auth. jubemus. c. de iudiciis;* ita ut cœptum confici intra primum mensem intra duos reliquos absolvatur. *cit. L. fin. §. 1. 2. & 11. c. de jur. delib.* nisi adit legitimæ impedimen-

pedimentum absentia, carceris, morbi. de Lugo *cit. d. 24. num. 234.* qui tamen terminus inchoationis inventarii peremptorius non est, ut Perez in *cod. de jur. delib. num. 4.* Lauterb. *ibidem. §. 15.* Muller. *l. c.* citatis aliis; sed adhuc profuturum dictum tempus, etsi non cæperit intra 30. dies. Lugo. *l. c.* cum Molin. *d. 218. §. dubium est.* communem dicente. Si verò hæredes absentes sunt, aut hæredias, vel saltem major ejus pars, ut de Lugo, alibi sita, perficiendum inventarium intra annum. *cit. l. fin. §. 2.* numerandum à tempore mortis testatoris, ut Lauterb. *§. 12. &* ut Idem, si bona sita in diversis locis, tempus hoc determinandum arbitrio Judicis; cum etiam hoc tempus ex juxta causa prorogari possit. Carpz. Lauterb. Muller. *LL. cit.*

4. Dicitur tertio: *confectum ab hærede*: de jure namque civili conficere inventarium ejusque beneficio uti possunt regulariter hæredes omnes (exceptiones tamen aliquas vide apud Brunem, *ad cit. l. fin. num. 69.* Berlich. *decis. 160. num. 32.* Mynf. *cent. 2. obs. 92.*) sine discrimine, siue sint sui, siue extranei: siue legitimi, siue testamentarii: siue instituti, siue substituti: siue ex parte, siue ex alfe. uti hæc habentur in *cit. l. fin.* siue sint fiduciarii seu fideicommissarii. Arg. *§. 4. & 7. Inst. de fideicom. hered. &* in specie etiam Ecclesia & fiscus. Stryck. *de cunct. testam. c. 22. memb. 2. §. 3.* Lauterb. *§. 10.* Item hæres hæredis, si hæreditas transmissa sit, inventarium inchoatum perficere, vel tempore nondum elapso, inchoare potest. Arg. *l. 7. §. 1. ff. de acquir. velomit. hered.* Possè etiam hæredem conficere inventarium, etiam si testator confectioem prohibuerit, Arg. *l. 5. ff. de legat. 1.* ait Lauterb. *cit. §. 10.* ubi etiam, quòd hæredibus atate vel alia ratione impeditis, eorum nomine fieri possit per curatores, tutores; quin & hos ad hoc teneri dicit.

5. Dicitur quartò: *res omnes in hæreditate reperi- tas exhibens.* Siquidem omnia ad hæreditatem spectantia (siue hæres eorum habeat dominium plenum, siue minus plenum: siue revocabile, siue irrevocabile: siue verum, siue fictum: siue directum, siue indirectum: siue jus in re, siue jus ad rem) inventario specificè inseri debent juxta *cit. l. fin. §. 2.* Lauterb. *§. 11.* ita ut, si quid omisum bona fide, puta ex ignorantia vel inadvertentia, inventario de novo adjiciendum; si verò dolosè quid, quòd hæreditatem auget, (secus, si eam minuat, ut æs alienum) celatum vel subductum, id in duplum restituendum, vel hodiernis moribus simplum, & dolosè subducens arbitrarè puniendus. *cit. l. fin. §. 10.* Lauterb. *l. c.* Muller. *l. c. th. § 6. lit. n.* & in specie, si celatum vel subductum inventario fuerit legatum seu res legata, hæres veniat privandus falcidia, ut Muller. *l. c. lit. ?.* uti &, si conjux superstes subduxit, præter restitutionem privanda usufructu secundum jus provinciale ei competente in bonis defuncti acquisito, ut idem. Atque ita in specie inferendæ sunt res, tam mobiles, ut pecunia parata, suppellex domestica, annuli, panni, linteamina, vestes, frumentum, animalia, & inter hæc res deposita & pignori data (quamvis de rebus defuncto commodatis aut depositis adnotare eas, necessari- um non esse, etsi tutius dicat de Lugo de *7. & 7. rom. 2. d. 24. num. 235.*) quàm immobiles, ut aedificia, castra, agri, vineæ, sylvæ, piscinæ, stagna &c. designanda per duos proximos confines terminos juxta *L. forma ff. de censib.* Item res incorporales, ut sunt jura servitutis venandi, patronatus, ope-

ra, rustica, decimæ, jurisdictio, ususfructus, feuda, peticiones, nomina seu debita & credita eorumque scripturas aliave jura activa & passiva ei competentia. Gail. *l. 2. obs. 10.* Mynf. *cent. 1. obs. 69. num. 12.* Muller. *l. c. lit. a.* fructus etiam jacente hæreditate percepti, & accessiones (intellige tam in mobilibus, quàm immobilibus aliisque factæ hæreditati. de Lugo. *l. c.* Muller. *cit. th. § 6. lit. a.* citans Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 12. th. 8. lit. f.*

6. Dicitur denique. *sine periculo hæredis. seu liberans à periculo*: cujus declaratio paulò post dabitur, ubi de commodis inventarii.

*Quest. 733. An & quando hæres teneatur conficere inventarium, & num testator necessitatem faciendi inventarium remittere possit?*

1. Resp. primò: quamvis per se & regulariter loquendo nullus teneatur aut cogi possit ad faciendum inventarium, præsertim dum certò constat, quòd hæreditas pro omnibus debitis sufficiat, vel hæres sit solvendo, ita ut nulli aliquid damni immineat; eò quòd inventarium sit beneficium principaliter introductum in favorem hæredum; nemo autem teneatur uti favore & privilegio concessio; ut cum communi AA. qui passim dicunt, possè hæredem inventarium omittere, si velit Reiffent. *h. t. num: § 11.* nihilominus tamen etiam, quia in ad-eunda hæreditate sæpe occurrunt difficultates & pericula, ad ea declinanda, uti etiam propter publicum interestè conficere inventarium hæredes coguntur. Tholof. in *synag. jur. l. 46. c. 3. num. 12.* Lauterb. *l. c. §. 10.* Reiffent. *l. c.*

2. Resp. secundo: necessariò tamen conficiendum inventarium in sequentibus casibus. Primò tutores, curatores, casu quo eorum cura commissi pupilli, minores, prodigi, amentes, furiosi hæredes sunt, facere debent inventarium; &, si id non faciant, debent non tantum illi, cujus curam gerunt, sed etiam creditoribus ultra vires hæreditatis satisfacere, si damnum inde oriatur; eò quòd, qui præstandorum obligationem habent, ad inventarii confectioem teneantur. Arg. *l. 1. ff. de tutel. & rat. distrab.* quamvis pupillis & minoribus contra tutoris & curatoris negligentiam succurratur per restitutionem in integrum. *novel. 1. c. 4. §. 1.* Lauterb. *in ff. de jur. delib. §. 10.* qualiter etiam succurri minori, si modo illegitimo, aut planè non conficiat inventarium, maxime, dum ob inconsultam facilitatem atatisque lubricum damnosam adivit hæreditatem omisso inventario; secus, si dolo id fecerit, ut prætextu atatis in hæreditate, siue opulenta, siue damnosa impunè grassaretur, tradit Muller. *l. c. th. § 4. lit. e.* Verùm hæc necessitas conficiendi inventarii, quæ ratione administrationis officiique publici à lege inducta est, & communis omnibus illis, qui Juris imperio defensionem testamentariam in defectu aliorum suscipiunt, quales sunt Magistratus, Episcopi diocesani, Abbates &c. distincta est ab ea, de qua hic quaritur, nimirum quam quis privatus habet, aut hic & nunc habere potest ratione sibi obvenientis hæreditatis in ordine ad securam, tam respectu sui, quàm aliorum aditionem illius.

3. Secundo tali proinde necessitate conficiendi inventarii tenentur hæredes, vel iis invitis Judex ex officio, quando est periculum, ne illo omisso cohæ-

Coheredes absentes, creditores, legatarii aliive damnatum patiantur; dum forte heredes praesentes hereditatem partemve ejus distraherent, dilapidarent, occultarent, ejusque restitutionem lege debitam ob paupertatem facere nequirent. Arg. l. fin. c. de jur. delib. Molin. de 7. § 7. Tom. 2. d. 219. Hunn. encyclop. p. 4. tit. 17. c. 5. Reiffenst. h. r. num. 513. Tertio heredes gravati fideicommissio universalis. eod quod, cum talis gravatus teneatur totam hereditatem restituere alteri, hic securus reddi debeat, haereditatem directam nihil subtraxisse aut neglexisse. Reiffenst. num. 514. citans pro hoc Molin. ubi ante. Tusch. Tom. 4. concl. 349. num. 20. Peregr. de fideicom. a. 35. num. 25. & ut alii addunt, quia alius non posset detrahere rebellianicam. Contrarium nihilominus probabilius teneri à Molin. cit. d. 219. ait de Lugo cit. d. 24. num. 236. eod quod leges inducentes hanc necessitatem loquantur solum de inventario in ordine ad creditores, legatarios & fideicommissarios particulares; addit tamen ipsum fideicommissarium universale, dum ei restituitur hereditas, propter creditores & legatarios teneri facere inventarium, si illud ab haerede directo factum non fuit, ne alioquin teneatur ultra vires hereditatis; cum loco haereditis habeatur. Sed neque posse testatorem liberare haereditatem ab onere conficiendi inventarium respectu creditorum, utpote quibus non potest praedjudicare, sed solum respectu legatariorum & fideicommissariorum, quibus, quae relinquit, ex mera liberalitate relinquit. & in genere posse testatorem absolvere ab omni onere faciendi inventarii & reddendi rationes illos, quibus posset ipse ea bona relinquere libera sine onere ex inde dandi partem aliquam aliis, ait de Lugo l. c. fitque haec liberatio à testatore quandoque verbis prohibitive, ut Lauterb. l. c. §. 18. Tertio in specie miles de rebus in hereditate relicti inventarium exhibere debet, ea necessitate ei à lege imposita. L. fin. ff. §. c. de jur. deliber. minus tamen solemn in inventario ei succurritur beneficio Gordianae constitutionis. L. ult. §. ult. c. eod. Muller. lit. 1.

4. Resp. tertio potest testator hanc necessitatem condendi inventarii remittere, ita ut hac remissione sua omnem excludat doli & furti suspicionem, in qua aliis esset omittens inventarium; adeoque sic adiens hereditatem non minus sit extra periculum, quam si illam cum inventario adeat, nisi tamen dolus expressè doceri posset. Muller. l. c. ib. 57. lit. 3. cum Stryckio de remiss. invent. c. 8. num. 11. juncto c. 4. num. 12. quod ipsum tamen hac quasi generali regula & limitatione temperat; nimirum ut, quoties negotium solius remittentis interesse concernit, haec remissio ab eo fieri possit, aliis non, atque ita quoties in alterius quam testatoris ipsius eorumve, qui ab eo causam lucrativam habent favorem conficiendum inventarium, facere eam remissionem potest. Muller. l. c. lit. 1. cum Donell. enucleat. l. 7. c. 3. lit. b. & Stryck. l. c. c. 3. num. 10. Unde & contra, quia testator creditoribus jam obligatus fuit, in horum injuriam dictam remissionem facere nequit. Schrad. tr. de feud. p. 8. c. 8. num. 20. Peregr. de fideicom. a. 11. num. 75. Molin. Covar. & alii, quos citat & sequitur. Muller. unde etiam facta à testatore haec remissio in praedjudicium legitima nullius est momenti, ut

Idem cum Pruckman conf. 48.

num. 37.

Quaest. 734. Quisnam sit effectus, seu quae commoda inventarii confecti, & quae incommoda ejusdem omiffi?

1. Resp. primo: praeterquam quod haeredi ratione inventarii conficiendi detur exceptio dilaatoria secundum dicta, ut interea tempore, quo conficitur inventarium, contra eum nec realis nec personalis actio institui queat per civ. l. fin. §. 11. c. de jur. delib. dum aliàs, si pure adierit, de jure communi post novem dies conveniri possit juxta novcl. 115. c. 5, §. 1. ratione inventarii confecti datur ei exceptio in ordine ad sequentes effectus respicientes vel damnum haereditatis avertendum, vel lucrum ei acquirendum. Et primo quidem ut, si in eo conficiendo modus à Justiniano praescriptus servatus, adita hereditate, perpetuo tutus sit, ne ultra vires hereditatis ab eo quicquam exigatur, sive à creditoribus, sive à legatariis. civ. l. fin. §. 4. §. 5. Inst. de hered. qual. §. diff. Lauterb. in ff. de jur. de lib. §. 14. Muller. ibid. ib. 57. lit. 1. etsi enim haeres cum inventario sit verus haeres, & in universum jus etiam passivum defuncti succedat, æquissima tamen ex illa constitutione Imperatoris datur illa ea exceptio, quae ultra vires hereditatis exigentes quid repellere potest, quaeque paratam habet executionem. Zanger. de except. p. 3. c. 26. num. 102. Berlich. p. 1. com. l. 84. num. 70. Muller. l. c. Unde etiam sine periculo adire potest hereditatem, eamque denuo repudiare; ac consequenter non eget jure deliberandi; cum eam adiens cum beneficio inventarii sit extra omne periculum. cit. l. fin. Hunn. p. 4. tit. 17. c. 5. Fachin. l. 7. c. 13. Reiffenst. num. 510.

2. Secundo idem dicendum, si casu fortuito citra culpam aut moram haereditatis res quae piam hereditariae perierint; & sic quantitas hereditatis in inventario designata diminuta, ut neque pro tota inventarii quantitate, neque pro rebus illis deperditis conveniri possit. cit. l. fin. §. 5. 13. §. 14. Lauterb. Muller. LL. cit. de Lugo l. c. num. 229. dicens tunc talem rem perire creditoribus, non haeredi. addit etiam Muller. cum Surdo decis. 30. num. 14. §. decis. 318. quod, si haeres à creditoribus vel legatariis ad solvendam pecuniam remve aliam in hereditate onerosa non repertam conveniatur, exceptione inventarii opposita, impetrare possit, ut illi res alias hereditarias in solidum accipere compellantur; cum in vim inventarii unum pro alio creditori etiam invito, solvi possit. lit. l. fin. §. fin. verò, licet aliàs regula juris sit, quod unum pro alio creditori invito solvi nequeat. l. 2. §. mutui datio. ff. si certum petat, non tamen res aliàs, quam in hereditate, quae solvendo non est, repertas in solutum dare cogitur. cit. l. fin. §. 6. Lauterb. cit. §. 13.

3. Tertio, beneficio inventarii detrahere potest haeres falcidiam, etsi tota hereditas legatis exhausta. Arg. cit. l. fin. §. 4. Jalon. ibid. §. est praefatam. num. 1. Tholos. syntag. jur. l. 46. c. 3. num. 17. Lugo l. c. num. 229. Lauterb. l. c. §. 15. Muller. l. c. spectatque haec detractio ad rationem lucri. Possè tamen etiam testatorem in ordine ad retinendum nihilominus jus detrahendi falcidiam integrum remittere haeredi confactionem inventarii, tuetur Muller. l. c. lit. 3. citatis pro hoc Paris. vol. 2. conf. 79. num. 17. Hann. de 7. §. 7. tr. 6. num. 665. Clar. §. testamentum. q. 66. num. 2. Fachin. contr. juris. l. 6. c. 25. per tot. Mol. Cujac. plurimisque aliis, idque ex ea ratione, quod testator legariis praedu-

præjudicare possit; cum illis nullatenus obligatus fuerit, sed ex sola liberalitate legaverit; cui autem liberum fuit planè nihil legare, is etiam potuerit legationi suæ adicere legem, quam voluit. & hæc juxta *responf. 3. ad q. præced.*

4. Quarto, potest sine periculo quibusvis creditoribus & legatariis primò venientibus totum solvere, non examinando, quis eorum majus aut prius privilegium habeat, modò id fiat bona fide. *cit. L. fin. §. 5. Lauterb. l. c. §. 13. reservato tamen, ut Idem, supervenientibus prælationis jus habentibus competente juris remedio, tuto interim emptore, cui hæres pro solvendis debitis vel legatis aliquid vendidit, ut Lauterb. per *cit. L. fin. §. 5. & 8.* sic etiam ait de Lugo, *l. c. num. 228.* si nihil super sit ad solvendum aliis ex post venientibus, hos nihil ab hærede exigere posse; sed ab iis, quibus jam solum est, si hi in eorum præjudicium acceperunt. teneri tamen etiam hæredem, si scienter vel etiam (ut in parenthesi ponit de Lugo;) dubitans hæreditatem non sufficere pro omnibus, solverit totum primò venientibus.*

5. Quintò, ut non confundantur vel extinguantur actiones, quas hæres adversus defunctum habebat, sed debita hæredi sicut aliis solvenda. de Lugo. *cit. num. 229.* Lauterb. §. 15. Muller. *l. c. th. 57. lit. 3.* juxta *cit. L. fin. §. 9. & l. 48. ff. ad leg. falcid.* adeoque licet sit hæres in totum, non teneatur factum defuncti cedens in suum præjudicium approbare; sed possit contra illud agere. v. g. petere ab emptore rem suam, quam ei malè vendiderat defunctus, solvendo tamen emptori nomine defuncti pro portione hæreditatis, quam habuit, & juxta vires ejus id, quod pro evictione defunctus, quem hæres repræsentat, solvere debuisset. ita de Lugo *l. c.* remittens ad Molin, *d. 216. §. ut commodum octavum.*

6. Sextò, quod hinc sequi videtur, ut hæredi competat jus retinendi, quidquid se impendisse probaverit in funus defuncti; testamenti insinuationem, inventarii confessionem, hæreditatis defensionem aliasque causas necessarias. *cit. L. fin. §. 9.* Sichard. *ibid. n. 5.* Lauterb. *cit. §. 15.*

7. Septimò, ut confecto inventario, quamprimum possit res alienum detrahere; quin & legitimam, antequam legata præstentur legatariis. Muller. *l. c. lit. 4.* cum Gail. *l. 2. obs. 138. n. 14.* & aliis sic in praxi servari testantibus.

8. Resp. secundò; è contra spreto hoc inventarii beneficio, seu omisso inventario, hæres purè adiens hæreditatem, creditoribus & legatariis tenetur in solidum seu integrè satisfacere, tamen si debita & legata superent vires hæreditatis. *cit. L. fin. §. 12. & 14. novel. 1. c. 2. §. 9.* & hoc, etiam si defunctus inventarium remisisset, vel creditores & legatarii scivissent, hæredem non esse solvendo. Lauterb. §. 16. Intelligendum tamen hoc de hærede propriè tali; secus enim est in aliis, qui hæredes propriè non sunt, ut executor hæreditarius universalis, qui distribuere debet bona defuncti in opera pia ab eo præscripta, & vicem hæredis tener. Usufructuarius universalis. Pater jure peculii occupans bona filii familias defuncti. Monasterium occupans bona religiosi, cui succedit per professionem. Fiscus occupans bona confiscata ob delictum, vel bona vacantia decedentis intestatò sine hærede, aliique enumerati à Molin. *d. 217. in pr.* ita de Lugo. *l. c. num. 231.* An verò teneatur ad hoc hæres etiam in foro conscientie, non ita convenit inter AA. nam imprimis præcindendo ab Ecclesia seu causa pia in-

stituta hærede; itè à legatis & debitis, absolute teneri in hoc casu hæredem ultra vires hæreditatis etiam Jure Canonico in conscientia, tanquam verius tenent spina de pœna non confec. ab hered. inventar. Giphani. *ad l. 9. c. de jure deliber.* Muller. *l. c. lit. 4.* qui hanc assert rationem; quòd, cum de Jure civili in eo dubium nullum sit, & Jure Canonico nullibi aliud constitutum sit, Jus civile mutatum dici non possit. Ad hæc non destituatur naturali ratione & æquitate, quòd hæres, qui omnem hæreditatem non adiit, solvat omne, quod defunctus debebat, sed nescio, an ex inde sufficienter deducatur illa obligatio pro foro interno seu conscientie, ut ex mox subjiciendis videbitur. Contrarium sentiunt tam quò ad legata, quam debita Dian. *tom. 2. rr. 5. miscel. resol. 56.* Valsq. *de testam. c. 9. §. 3. du. 6.* & apud Molin. Abb. Bart. Hoff. ex ea ratione, quod leges istæ inducentes obligationem illam solvendi ultra vires hæreditatis fundentur in præsumptione bonorum occultatorum ab hærede. Distinguunt alii ita, ut velint esse obligationem in conscientia quò ad creditores, seu solvendi debita excedentia vires hæreditatis in casu neglecti inventarii; eò quòd hæres creditoribus verè debeat ex quasi contractu, nimirum aditionis, & non ex pœna, vel etiam ex lege ob præsumptionem. Secus verò esse quò ad legatarios seu quò ad legata, ut pote ad quæ solvendum tenetur hæres non ex contractu, sed in pœnam non facti inventarii; ad quam pœnam non tenetur, nisi post sententiam, etiam, dum intercessisset culpa; eà autem non intercedente, ne quidem post sententiam; cum pœna sine culpa deberi nequeat in conscientia. ita cum Molin. de Lugo. *num. 232.* dicens stando rationi sibi magis placere hanc sententiam. Idem omnino tenent hi AA. ecclesia & causa pia eò quòd. *cit. L. fin.* loquatur universaliter de sacerdotibus, Principibus, Imperatoribus, pupillis, minoribus & aliis omnibus, adeoque quò ad debita excedentia vires hæreditatis teneatur in foro tam interno quam externo; quò ad legata verò non nisi post sententiam, nimirum, quando in ipsa seu ejus ministris fuit culpa vel probabilis conjectura, quod ejus ministri aliquid de bonis defuncti occultaverint. ita de Lugo. *l. c.* contrarium simpliciter de ecclesia tenentibus Bart. & aliis apud Molin. Secundò omisso inventario extinguuntur actiones hæredi competentes contra defunctum. Lauterb. §. 16. per *l. 7. c. de passis.* Tertio amittitur quoque falcidia juxta dicta supra de falcidia, non tamen de trebellanica juxta sententiam in Camera Imper. receptam, testibus. Gail. *l. 2. obs. 138.* Mynf. *cent. 3. obs. 60.* Excipiuntur tamen milites, qui etiam omisso inventario fruuntur falcidià, & in tantum solum tenentur, quantum in hæreditate invenerunt. Lauterb. *l. c.* juxta *cit. L. fin.* idem de minoribus dicens per *novel. 1. c. 4. §. 1.* Quarto filium quoque in hoc casu amittere legitimam, ait cum Vinn. *select. qq. l. 2. q. 28.* quod tamen distingui à Brunem. in *cit. L. fin. num. 29.* addit. De cætero licet alicubi (ut de Saxonia testantur Berlich. *p. 3. concl. 46. num. 8.* Lauterb. §. 16. & 19. citatiq. ab eo Carpz. Stryck.) jurata specificatio bonorum omnium in locum inventarii subrogata idem operetur, quod inventarium solenne; ubi tamen id receptum non est, vel alius inventarii effectus est, quam sola designatio, eam non sufficere, nisi ad noticiam bonorum hæreditatorum, allerit. Lauterb. *cit. §. 19.* cum Mevio *p. 2. decis. 96. & p. 6. decis. 59.*

**Quest. 735. Quid sit hereditatis petitio.**

**R**esp. Est actio, quæ quis hereditatem vel totam vel partem ejus petit seu vendicat ab eo, qui illam pro hærede aut pro possessore possidet. Calvin. in *Lexic. v. petitio hereditatis*. pro hærede possidere dicitur, qui putat se hæredem esse. *L. 11. ff. de heredit. petit.* pro possessore possidere dicitur, qui aliam possessionis suæ causam reddere nequit, quam quia possideo. *cit. L. 11. §. seq.* uterque autem petitione hereditatis tenetur, ut Ulpian. *L. 9. ff. eod. de eo autem*, qualiter petitio hereditatis instituenda, vide Gail. *L. 1. obs. 68.*

**Quest. 736. Quid sit hereditatis aditio & quotuplex.**

**I. R**esp. Ad primum: aditio hereditatis (quæ & immixtio dicitur, dum in jure hæc duo: adire hereditatem, & immiscere se hereditati sæpe pro eodem sumuntur. ut Hunn. *p. 4. tit. 16. de adit. hered. n. 4.* Sichard. in *rubr. de jur. delib. n. 16.*) est, quæ quis constituitur hæres in actu secundo, adeoque distincta ab acquisitione hereditatis, utpote essentialiter dicens actum hominis, quem acquisitio non includit, dum sui ipso jure statim à morte defuncti evadunt hæredes, non quidem in actu secundo, ad quem requiritur factum hominis; sed solum in actu primo, hæc inquam aditio describi potest, quòd sit actus, quo quis pro hærede se declarat, seu se hereditatem agnoscere & amplecti, adeoque hereditatem sibi delatam & acquisitam supponit. Lauterb. in *ff. de acquir. vel omit. heredit. §. 7.*

**2. R**esp. Ad secundum: quemadmodum duo sunt modi, quibus aditur hereditas, seu declaratur dicta voluntas, quòd quis se pro hærede habere velit, & de facto hereditatem amplectitur, nimirum vel expresse seu verbis, vel tacite re vel facto, ita aditio dividitur bifariam in expressam & tacitam, verbalem & realem. Lauterb. *l. c. §. 10.* exempla utriusque hujus aditionis plura passim congerunt AA. ac præsertim Menoch. *L. 4. præsump. 100. de quibus quest. seq.*

**Quest. 737. Qualis debeat esse voluntas illa factumque, ut habeant rationem aditionis hereditatis.**

**I. R**esp. Primò: voluntas illa primò debet esse certa & specifica; cum ignorantis voluntas sit nulla. ac proinde scire debet illum, de cujus hereditate agitur, esse defunctum. *§. fin. Inst. de hered. qual. & diff. L. 13. §. 1. l. 19. §. 52. ff. de acquir. vel omit. hered.* ita, ut, si de morte incertus sit, etsi ea re ipsa contigerit, aditio sit nulla. Mantic. *de amb. & tac. tit. 9. num. 5.* Tusch. *concl. 184. n. 1.* Muller. in *ff. eod. th. 27. lit. a.* Item hereditatem sibi delatam. *L. 21. §. 2. ff. eod. qualis dicitur*, quando à se ipsa non patitur difficultatem, quò minus adeatur & acquiratur, cui nimirum acquisitioni nec vita testatoris, nec conditio, nec alius propior hæres est impedimento, quin statim adiri vel repudiari possit. Muller. in *ff. eod. th. 10. lit. a.* Item quæ causâ obvenit sibi, an ex testamento, an ab intestato. *cit. §. fin.* ita ut, si de eo dubitetur, vel non constet, aditio sit nulla per *L. 22. ff. de acquir. vel omit.* Muller. *l. c. lit. y.* Lauterb. *l. c. §. 12.* Item modum delationis, purè, an sub conditione delata. *L. 32. ff. eod.* Tusch. *l. c. n. 24.* Muller. *l. c. lit. ß.* Item ut certus sit de conditione testatoris. ita Lauterb. *l. c.* quò ad hæc omnia remittens ad Bardil. *disp. de hered. adit. th. 4.*

R. P. Lewr. *Jur. Can. Lib. III.*

**2.** Secundò debet esse declarata purè sine adjunctione conditionis & diei. *L. 51. §. 2. ff. de acquir. Mantic. l. c. tit. 11. n. 10.* Masc. *vol. 1. concl. 41. n. 14.* Muller. *l. c. lit. y.* Lauterb. *§. 13.* cum aditio sit actus legitimus, qui per temporis aut conditionis adjunctionem vitatur. *L. 77. ff. de R. ß.* quamvis conditionis impletio hoc operetur, ut delata sit hereditas purè; adeoque ut adeundo acquiri possit, & non, ut adita habeatur. Lauterb. *l. c.* cum Masc. *de prob. vol. 1. concl. 43. n. 3.* & ubi hæc declaratio fit verbis, non requiruntur solemnia, sed sufficienti qualiacunque, modò constet ex illis de certa & vera voluntate hereditatem acquirere volentis. v. g. dum dicitur: sum hæres: adeo, amplector, apprehendo hereditatem. vel etiam, si interrogatus, num velit esse hæres, respondet *ua vel quid mi?* Arg. *L. 1. §. 2. de V. O.* Mantic. *l. c. l. 12. tit. 11. num. 2.* Menoch. *cit. præsump. 100. num. 13.* Muller. *l. c. lit. ð.* Idem cum Cravet. *conf. 148. num. 3.* Mant. *n. 10.* Masc. dicens de dicente: saluto te tanquam hæres. Lauterb. *§. 14.* Non tamen sufficere verba futuri temporis. v. g. volo adire hereditatem: eò quòd *Tò volo* cum infinitivo non præsentem voluntatem, sed solum primum voluntatis motum ostendat; nisi tamen ex circumstantiis appareat præsens & perfecta voluntas illius. v. g. si id diceret coram Magistratu, vel testibus, vel tempore deliberandi elapso. Lauterb. Muller. *LL. cit.* uti nec verba dubia v. g. gaudeo, mihi obvenire talem hereditatem. iidem cum Menoch. *l. c. num. 27. §. 29.* De cætero perinde est, si verba proferantur ore, si per scripturam aliàs etiam in validam iidem cum Mantic. *l. c. n. 9* quin & sufficere nutum juxta *l. 93. §. 1. ff. de acquir. vel omit.*

**3.** Tertiò voluntas debet esse libera; cum extraneus invito hereditatem licet lucrosam adire non compellatur. *L. 16. c. de jur. delib. & ibi.* Brunem, & Sichard. *num. 16.* Lauterb. *§. 11.* exceptionem dari dicens. *§. 3. Inst. de fideicom. hered.* quin & addit, si vi metue impulsus adierit, aditionem propterea non esse nullam, sed ipso jure valere juxta *L. 21. §. fin. ff. quod vi metusve caus. §. L. 85. ff. de acquir.* quamvis in hoc casu edito Prætoris detur restitutio in integrum, & abstinere possit per *cit. L. 21. §. 2.* non obstante. *L. 6. §. fin. ff. eod.* ubi de voluntate fallace & simulata, quæ nulla est.

**4.** Resp. Secundò: ut factum sit sufficiens interpres latentis animi gerendi se pro hærede, adeoque verè rationem tacitæ aditionis habeat, in genere tale esse debet, quod non nisi hæredi quæ tali competit, siue quod à tali persona sine nomine & jure hæredis circa bona defuncti exerceri non potest. *L. 20. §. 1. §. seq. ff. de acquir. vel omit. hered.* Menoch. *l. c. num. 1. §. 2.* Mantic. *l. c. l. 12. tit. 12. num. 7.* Muller. *l. c. th. 28. lit. ß.* Lauterb. *l. c. §. 15.* ex hujusmodi enim factis ista hæredis voluntas rectè præsumitur, nisi circumstantiæ contrariæ hanc præsumptionem impediunt; cum hæc præsumptio sit juris tantum, & non etiam de jure; adeoque probationem in contrarium admittat. Lauterb. *l. c.* cum Carpz. *7. F. p. 2. c. 14. d. 20. §. seq.* Talia autem facta sunt distractio rerum hereditariarum. Menoch. *l. c. præsump. 101. n. 13.* Mant. *l. c. n. 9.* Muller. Lauterb. *ll. cit.* juxta *§. fin. Inst. de hered. qual.* nisi essent, quæ servando servari non possent, aut quæ aliàs ei obligata essent, ut Muller. *l. c. lit. ç.* aut eorundem locatio, nisi fortè ad hoc petita licentia à Magistratu, ut Muller. *lit. n.* Item eorum divisio cum cohærede. dispositio de iis facta in

testamento vel codicillis. Solutio legatorum reli-  
ctorum à testatore, uti & aris alieni. cessio hære-  
ditatis, transactio cum legatariis & creditoribus;  
uti & compromissum defuper factum, cultura præ-  
diorum &c. quorum singula textibus Juris & citatis  
pro iisdem AA. stabilita vide apud Muller. *l. c. lit. y. & s.* E contra si facta sint talia, quæ tam hære-  
dibus quàm aliis competunt, vel quæ alio quàm hæ-  
redis nomine, aliove animo & intentione, quàm ad-  
eundi hæreditatem ab hærede fieri possunt, statim ab  
initio dictam præsumptionem excludunt. Sichard.  
*ad L. potuit. c. de jure deliber. num. 15.* Mantic. *l. c.*  
*num. 7.* Muller. *l. c. lit. s.* Lauterb. §. 15. Talia sunt  
sepelire defunctum, expensas in infirmitate & pro  
sepultura illius erogatas solvere, alimenta familiæ  
testatoris subministrare, domum illius & bona mo-  
bilia, ne perdantur, custodire aut reficere, aliæque  
similia pietatis & amicitie testimonia edere. *l. 20. §.*  
*1. ff. de acquir.* aliisque textibus quos citat Lauterb.  
*Surd. de aliment. tit. 1. q. 44. n. 38.* Barti. *l. 11. tit. 3.*  
*num. 2.* Muller. *l. c.* ubi etiam stabiliendo singula  
citatis LL. & authoribus inter tales actus numerat  
erogationem eleemosynarum, quas pro loci consue-  
tudine facit filius pro cohonestandis exequiis sui pa-  
tris. Item transactionem quam facit super morte  
parentis accipiendo, pecuniam ab homicida; quia  
id facit non ut hæres, sed ut pius filius, cujus est vin-  
dicare mortem patris. Item petitionem, quæ petit  
rationes & instrumenta sibi exhiberi, quibus le in-  
struat de juribus hæreditatis. Item si hæres institutus  
vel ab intestato vocatus conficit inventarium bono-  
rum hæreditatis. Item si conditionem implet, sub  
qua institutus est hæres. Qualiter verò protestatio  
aperta præcedens aut concomitans actus aliis habi-  
tos pro aditione impediatur præsumptionem aditæ hæ-  
reditatis, vide apud Muller. *l. c. lit. i.*

**Quæst. 738. Quinam hæreditatem ad-  
ire possint vel non possint?**

**1.** Resp. primò: soli eam adire possunt, qui habent  
testamenti factionem passivam, sive cum qui-  
bus est testamenti factio. §. 4. *Inst. de hered. qual.*  
non solum tempore aditionis, sed etiam testamenti  
conditi & mortis testatoris. Lauterb. *in ff. de ac-  
quir.* §. 16. per *l. 49. ff. de hered. instit.* ac ita exclu-  
duntur per hoc, qui hæres non sunt, v. g. legatarii,  
fideicommissarii particulares.

**2.** Secundò soli, qui voluntatem suam de adeunda  
hæreditate verbis vel factis declarare possunt, per  
quòd excluduntur furiosi & mente capti, & usu rati-  
onis carentes, puta infantes; quia nulla est eorum  
voluntas. nihilominus tamen licet furiosi voluntas  
suppleri nequeat juxta juris regulam. *l. 90. pr. ff. de  
acquir.* ex æquitate tamen receptum esse, ut si infans  
sit in potestate patris, pater, si sui juris est, tutor ejus  
pro eo adire possit hæreditatem. *l. 18. §. 2. c. de jur.  
delib.* cum nisi ita constitutum esset, nulla hæreditas  
infanti acquiri posset, tradit Muller. *l. c. th. 2. y. lit. d.*  
Sic quoque curator furiosi delatam ei hæreditatem e-  
jus nomine adeundo posse acquirere per *l. 3. §. 3. c.  
de curat. furiosi*, sub conditione tamen subsecuta  
ab ipso, furore cessante, ratihabitionis. Unde etiam  
*cit. l. §. 7. & seq.* ad sanam mentem redeunti per-  
mittatur aditam à curatore hæreditatem repudiare  
asserit Lauterb. §. 17. si verò in furore decedens vol-  
untatem suam super facta aditione non declaravit,  
hæreditas ad furiosi hæredes non transmittatur, sed  
deferatur hæredibus illis, ad quos non extante fu-  
rioso perventura fuisset; nimirum vel ad substitutum,

si est, vel ad hæredes defuncti ab intestato proximo-  
res tempore mortis illius. ita Lauterb. *l. c.* per *cit.*  
*l. 3. §. 8.* ubi tamen §. 2. ut Item cum Berlich. *decif.*  
*147. num. 19.* excipitur hæreditas paterna, quæ et-  
iam ad furiosi in tali statu defuncti hæredes transmi-  
tatur. Idem est de infante, qui ob defectum vol-  
untatis comparatur furioso per §. 9. *Inst. de inutil.  
stipul.* cujus nomine ex æquitate adire potest hæredi-  
tatem ejus pater juxta paulò ante dicta.

**3.** Tertiò soli, qui se obligare possunt; cum hæ-  
reditatem adiens succedat in omne jus defuncti  
tam activum quàm passivum; estque hæc aditio mo-  
dus obligationes in defuncto radicatæ transferendi  
in se, & novas respectu legatariorum constituendi.  
Lauterb. §. 18. Hinc ex hoc capite excluduntur  
non solum furiosi & infantes, sed etiam pupilli in-  
fantia, id est, septem annis majores, utpote, etiam  
dum sui juris sunt, & hæreditas lucrosa, autoritate  
tutoris in hac aditione opus habent. *l. 11. ff. de auth.  
tutor. l. 5. c. de rep. heredit. l. 18. §. 4. c. de jur. delib.*  
in paterna autem potestate constituti consensu patro-  
terno; tutore & patre destituti, autoritate Præto-  
ris; & pupilli infantia majores impuberes tamen,  
Magistratus decreto. *cit. l. 18. §. fin.* sine pupilli au-  
tem infantia majoris scientia & consensu tutor ad-  
ire nequit; cum is hæreditatem adeat, cui ea delata  
est. *l. 5. c. de jur. delib.* Brunem. *ibid.* Faber. *in cod.  
l. 6. tit. 12. def. 11.* Muller. *in ff. de acquir. th. 25.  
lit. b.* & hæc de jure communi, dum in locis quibus-  
dam talis pupillus adire potest sine autoritate tuto-  
ris, & tutor nomine pupilli eo ignorante, teste Lau-  
terb. *l. c.* Muller. *l. c. lit. y.* dicens teste experientia  
sic fieri. Quod dictum de talibus pupillis, idem di-  
cendum de minoribus habentibus curatorem, utpo-  
te quibus quoque bonorum administratio, & conse-  
quenter potestas sese obligandi sine consensu curato-  
ris adempta est. Arg. *l. 3. c. de integr. res. l. 1.*  
item idem dicendum de prodigis. *l. 6. ff. de V. O. l. 3.  
& 12. ff. de curat. furios.* Lauterb. *l. c.* reliqui verò  
usu rationis & potestate sese obligandi pollentes,  
quibus delata hæreditas, eam liberè adire possunt,  
etiam si sint muti simulque surdi. §. *fin. Inst. de hered.  
qual.* & inter hos etiam filii familias, etiam dissen-  
tiente patre jure novo, ita etiam, ut nec usus fru-  
ctus, nec jus ullum ad patrem redundet. *l. fin. c. de  
hered. qual.* si autem filius iustus à patre, eam adire  
recuset, pater potest eum adire, & pleno jure cum  
omni commodo & incommodo habere, ac si ipse  
ab initio institutus fuisset. Muller. *in ff. de acquir.  
th. 26. lit. §. a.* Lauterb. *cit. §. 18. in fine.* Et quod si  
plures hæredes in certis rebus aut partibus instituti  
hæreditatem adierint, actiones in singulos pro hæ-  
reditatis portionibus transeunt. *l. 1. c. si cert. pet.*  
Lauterb. §. 19. quem vide. De cætero & hi adeun-  
do acquirere nequeunt hæreditatem per procurato-  
rem generalem, ut contra Duarenum & Fachin.  
*l. 6. controuv. c. 96.* tanquam verius & communi DD.  
calculo probatum defendit Muller. *l. c.* & Lauterb.  
§. 20. ex ea ratione, quòd, ut paulò ante dictum  
de tutoribus & curatoribus, nemo adire & adeun-  
do acquirere possit hæreditatem, nisi cui ea dela-  
ta; quodque aditio hæc sit res maximi momenti;  
cum ex inde hæres obligetur ad omne æs alienum  
solvendum, aliasque graves obligationes subeat,  
ad quæ generale mandatum non sufficiat. Dum au-  
tem hæres dat speciale mandatum suo nomine ade-  
undi hæreditatem, eo ipso jam agnoscit hæredita-  
tem, adeoque eam adire censetur, ita ut alia ac-  
quisitione opus non sit; cum nihil interfit, quo-  
modo



modo hæres voluntatem suam declarat, five id faciat per nuncium, five per epistolam; loco autem vi-  
væ epistolæ deserviat talis procurator. Perez. in eod.  
de jur. delib. num. 22. Harpr. ad §. ult. Inst. de ha-  
red. qual. Muller. l. c. bene dicens, in neutro ca-  
su, five procurator sit generalis, five speciali man-  
dato instructus, dici posse hæreditatem adiri per  
procuratorem. Per additionem verò aliorum, ni-  
mirum qui in potestate habentur, ut sint liberi &  
servi, acquiri aliis, nimirum domino & patri hæ-  
reditatem, modò eorum jussus & mandatum præ-  
cesserit, constat ex §. 1. & 3. Inst. per quas person.  
acquir. l. 79. ff. de acquir. Lauterb. §. 20. quam-  
vis, ut Idem, Jure codicis quò ad liberorum adi-  
tionem ususfructus tantùm acquiratur patri. per l. 6.  
c. de bon. qua liber.

*Quæst. 739. Quodnam sit objectum adi-  
tionis?*

**R**Esp. est hæreditas (quæ quia non est, quamdiu  
testator vivit, ante mortem illius esse aditionem  
repugnat. l. 27. & 93. ff. de acquir.) eadem nondum  
acquisita; cùm in ordine ad acquisitionem neces-  
saria sit additio; adeoque hæc supponit non acquisi-  
tionem. delata tamen, id est, in qua sit causa, ut  
adiri vel repudiari possit, vel quam quis adeundo  
consequi potest, ut dicitur. l. 151. de V. S. Unde  
sub conditione institutus, eâ pendente, hæredita-  
tem consequi nequit; quia ei nondum delata. neque  
etiam ab intestato successit, quamdiu hæres ex  
testamento habet adeundi facultatem, neque substi-  
tutus, nisi institutus nolit adire. l. 3. 39. 69. ff. de  
acquir. Ac denique delata non repudiata; cùm se-  
mel se repudiatam hæreditatem adire nequeat jux-  
ta l. 4. c. de repud. de quo paulò post.

*Quæst. 740. An & qualiter parte unâ  
hæreditatis repudiata, altera adiri  
possit?*

**R**Esp. hæres delatam, nondum repudiatam hæ-  
reditatem totam, vel partem illius totam, id est,  
omne, quod ei delatum est, adire debet, ita ut non  
possit partem illius unam adire, & alteram repu-  
diare. l. 1. 2. 80. ff. de acquir. vel omit. Lauterb.  
§. 27. tamen, ut Idem per LL. 30. 53. 80. ff. eod. &  
l. 20. c. de jur. delib. hæres ex diversis partibus. v. g.  
ex femillè vel quadrante scriptus; cùm parte agnita,  
alteram agnovisse consueatur. Unde jam liberi legiti-  
mam, quæ juxta novell. 115. c. 3. est par titulo in-  
stitutionis relinquenda, retinere non possunt, repu-  
diatâ reliquâ hæreditate parentum. Lauterb. §. 28.  
cum Perez. in cod. tit. de repud. hered. num. 7. Bachov.  
vol. 2. d. 12. th. 3. lit. e. &c. secus est de donatione  
propter nuptias & dote, quam retinere possunt ab-  
stinendo à parentum hæreditate. L. fin. ff. de collat.  
dot. salvâ tamen legitimâ caterorum liberorum. Sic  
quoque cognatum feudum antiquum atque devolu-  
tum retinere posse, repudiatâ hæreditate defuncti,  
etsi contrarium sit in filio aliisq; descendibus, qui  
utrumque vel agnoscere, vel relinquere teneantur,  
idque intelligendum etiam de feudo ex pacto & pro-  
videntia, tenet cum aliis Lauterb. cit. §. 28. quam-  
vis addat, in praxi contrarium observari, ut filius  
quoque feudum antiquum ex pacto retinere possit,  
abstinens ab hæreditate paterna, pro ut docent ci-  
tati ab eo Besold. in deliberat. juris l. 37. q. 9. in fin.  
Mynf. cent. 3. obs. 67. num. 16. Gail. l. 2. obs. 124.  
Rosenth. de feud. c. 7. concl. 20. & 21.

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

*Quæst. 741. Intra quod tempus adun-  
da hæreditas?*

**R**Esp. tamen per Auth. sed neque. c. de sepulch. viol.  
& novell. 115. c. 5. §. 1. præfinitum novem dies, in-  
tra quos nullum ex defuncti relictis inquietari, aut  
actione à quoquam pulsari liceat, & quidquid contra  
factum, jure ipso sit nullum; quodque tempus deinceps  
ad 30. diem à morte testatoris in variis locis ex-  
tentum, ut videre est apud Muller. in ff. de acquir. th.  
29. aditio tamen illa, quâ verbis animus amplectendi  
hæreditatem declaratur, etiam intra nonum diem,  
& quolibet post mortem die fieri potest. Bart. in l.  
17. c. de jur. delib. & in L. ult. num. 16. c. de edict.  
D. Adria. toll. Mev. ad Jus Lubec. p. 3. tit. 2. a. 27.  
Lauterb. l. c. §. 29. Muller. l. c. cum illa declaratio  
extra judicium sine strepitu & inquietudine relicto-  
rum & impeditione luctûs eorundem (propter quæ  
evitanda illud tempus præfinitum) fieri possit. pos-  
sessio tamen, ubi vacua & apprehendenda, ante diem  
nanum à morte defuncti, jure civili hæreditas susci-  
pi seu occupari nequit; cùm hæc occupatio sine stre-  
pitu & turbatione luctûs, inquietudine viduæ, aut  
relictorum in ædibus defuncti fieri nequit, licet non  
possideant. cit. Auth. & novell. ubi autem sine strepi-  
tu fieri possit rerum servandarum causâ, ingressus  
in illas & egressus liceret. Muller. l. c. quin & posses-  
sio capi possit, dum hæres metuit ab alio impedi-  
mentum aut contradictionem, & in hunc finem im-  
plorari officium Judicis, qui per ministros eum com-  
mitetur & tueatur, ne impediatur. Idem dicendum  
est de arresto, quòd intra dictum tempus conceden-  
dus non sit, si per indictionem illius sepultura mor-  
tui, hæres aliique relictis turbari possent & inquie-  
tari. Muller. l. c. cum Coler. de process. execut. p. 2.  
c. 3. num. 395. & seq. nisi fortè summum sit pericu-  
lum in mora, metuendumque, ne bona in alium  
loeu transferantur, aut dilapidentur, vel hæres  
de fuga suspectus, & in eo loco, ubi negotium ver-  
titur, possessionatus non sit. in his enim casibus in-  
justissimum fore denegari arresti impetrationem (in-  
tellige, etiam intra illos novem dies) inquit Mul-  
ler. cum Carpz. p. 1. c. 30. def. 38. num. 3. & Arumæ.  
l. 2. decis. 4. De cetero quamvis in arbitrio hæ-  
dis sit quandocumque adire hæreditatem, dum ne-  
mo est, qui aditionem urgeat, nec ei certus ter-  
minus à testatore vel magistratu præfinitus, post  
annos tamen 30. adiri amplius nequit. Arg. l. 7. c.  
de pet. hered. L. licet. c. de jur. delib. L. 3. c. de præ-  
scrip. 30. annor. cùm ferè communi tenent Harpr.  
in §. fin. Inst. de hered. qual. num. ult. Bachov. ad  
Trent. vol. 2. d. 12. th. 5. lit. e. Paris. l. 2. conf. 48.  
num. 11. Tiraq. in L. si unquam. c. de revoc. do-  
nat. v. revertatur. num. 312. Mynf. cent. 2. obs.  
71. Sic judicari in Camera testans, & alii, quos  
citât & sequitur. Muller. l. c. lit. y. ubi etiam asse-  
rit cum Vivio comm. opin. l. 2. opin. 632. aditio-  
nem hoc spatio 30. annorum præscribi contra hæ-  
redes, non tantùm scientes sibi delatam hæredi-  
tatem, sed etiam id ignorantes, quamvis his non  
denegandam restitutionem in integrum, addat  
ex eodem Vivio. l. c. Bertr. vol. 6. conf. 1. num. 6.  
Alex. & aliis. Porrò notandum hic cum Lauterb.  
§. 29. in fin. & Bardil. non confundendam aditio-  
nem cum apprehensione possessionis.

*Quæst. 742. Quinam sint effectus aditæ  
hæreditatis?*

**R**Esp. sunt ferè sequentes: primus, quod hæres,  
qui ante aditionem hæreditatis ipsam hæredita-  
tem

tem non acquirit, sed solum jus eam adeundi, seu succedendi defuncto, & solum potentia est hæres, ipsa aditione actu in jus, quod habuit defunctus acquirit, ipsumque repræsentat, atque ita omnium rerum hæreditariorum efficitur dominus, non aliter, ac defunctus fuit earum dominus. Arg. l. 37. ff. de acquir. l. 14. c. de jur. delib. & ibid. Sichard. n. 1. & seq. Gail. l. 2. obs. 129. Hunn. p. 4. tit. 16. c. 13. num. 16. Lauterb. l. c. §. 31. Muller. l. c. th. 30. lit. β. idque absque eo, quod possessionem earum rerum actu & corpore acceperit. de quo paulo post.

2. Secundus, quod transeant in eum actu omnia jura realia, quæ defunctus habuit in re quacunque singulari. v. g. jus pignoris, servitutes, cit. l. 37. uti & omnes obligationes cum provenientius inde actionibus activæ & passivæ. l. 22. ff. cod. Sichard. in rubr. c. de jur. delib. Schrad. tr. de feud. p. 3. l. 3. num. 66. Hunn. p. 4. tit. 16. c. 3. num. 4. Laym. l. 3. tr. §. c. 6. Muller. l. c. cum communi. etiamsi fuerint in personam; cum hæ omnes, si sint ex conventionis, in se & naturâ suâ considerata sint persecutoria rei, & transeunt in solidum contra hæredem, etiam dum agitur de dolo defuncti per l. 12. & 49. ff. de O. & A. l. 152. & 157. de R. 7. Muller. l. c. lit. δ. Bachov. in tr. de act. d. §. th. 4. & si sunt ex delicto simplices rei persecutoria, transeunt contra hæredes, quantum ex delicto ad illos pervenit. l. 26. & 27. de dolo. l. 13. §. 8. ff. ad leg. aquil. Muller. l. c. Jura tamen personalia, quæ ita adherent personis, ut cum persona extinguantur, ut usufructus, vi aditionis non transeunt ad hæredes. pr. Inst. de usufr. Idem est de ejusmodi privilegiis personalibus. l. 68. de R. 7. Uti etiam non transeunt in hæredem ea jura, in quibus repræsentatio illa, quæ est inter defunctum & hæredem, cessat, ut sunt obligationes ex delicto provenientes respectu ipsius rei, quæ, si in iudicium necdum adductæ tempore vitæ defuncti, adversus hæredes non competunt; sed morte delinquentis extinguuntur; cum delictum & actio inde descendens suum sequatur authorem. Muller. l. c.

3. Tertius effectus est, quod hæreditatem transmittat ad hæredes hæredis, sive quod hæres adita hæreditate, eam transmittere possit ad suos hæredes, quod non posset, nisi ipse prius adiiisset, excepto eo casu, in quo hæres suus nondum adiiisset hæreditatem juxta expressum textum. l. 1. §. in novissimo. ff. de acquir.

4. Quartus, quod semel adita hæreditate, hæres pænitere, & eam repudiare nequeat. l. 4. c. de repud. & abst. hered. §. 5. Inst. de hered. qual. Lauterb. §. 13. idque, ut Idem cum Bardil. etiamsi eam cum inventario adierit, nisi sit pupillus aut minor.

5. De cætero licet jus hæreditarium, quod complectitur omnia jura defuncti, vi aditionis ex sola legis potestate & autoritate ipso jure sine traditione ullove alio facto transeat in hæredem juxta dicta; nequaquam tamen ipsa rerum & jurium hæreditarium possessio in eum transit, nisi insuper mediante apprehensione acquiratur juxta expressum textum. l. 23. ff. de acquir. possess. Jason. ibidem. num. 31. Zafius. num. 17. Gail. l. 2. obs. 129. Mynf. cent. 3. obs. 38. Muller. l. c. th. 30. lit. n. Lauterb. §. 32. & quamvis apud hunc Gudelin. de jur. noviss. l. 2. c. 18. num. 15. & Zal. in ff. de acquir. vel omitt. hered. num. 12. testentur, in Gallia & Belgio obtinere contrariam consuetudinem, nimirum, ut sine apprehensione ipso jure rerum hæreditarium possessio in hæredem transeat; uti & eandem in pluribus aliis

locis receptam & valde utilem esse. ut hæres non acquirenda, sed statim conservanda possessiois remediis uti possit, asserit Hahn, ad Wesenb. in ff. de acquir. num. 7. v. sed etiam, stando tamen auctoritati DD. tenenda sententia opposita, quam tenent Bald. in L. si sorori. c. de jur. delib. Bart. in l. 10. §. 5. de acquir. possess. Covar. tom. 2. var. resol. l. 3. c. 5. Gail. cu. obs. 129. per totam. multis rationibus eam stabiliens, & in Imperio Romano receptam, & sic crebrius in Camera judicatum esse testans. item Cynus, Curtius, decius & plures alii, quos citat & sequitur Muller. l. c. certissimum esse dicens, jure communi in Germania & Curia Spirensi (Wezariensi) recepto, possessionem non ipso jure transire in hæredem nullo etiam facto in hoc delictum inter suos & extraneos hæredes, ut aliis volunt Alciat. & Hotoman. ex ea etiam ratione, quæ utuntur cit. AA. quod ea tantum in hæredem transeant, quæ sunt juris juxta l. 23. ff. de acquir. vel a. mir. possess. ipsa autem possessio ejusque acquisitio non fit jus, sed factum juxta l. 1. §. 3. ff. cod. Atque ita jam idem non sunt: sum hæres: hæreditatem adii: & hæreditatem possideo, ut Gail. l. c. num. 8. opposita contra hanc sententiam, præsertim quod ad suos seu filios, quod neque hi sine apprehensione acquirant possessionem hæreditatis, diluta vide apud Muller. Potest de cætero hæres propria autoritate apprehendere possessionem, modo ea vacua sit. Carpz. l. F. p. 3. c. 9. def. 27. Lauterb. l. c. §. 32. si vero alius possideat, & quidem titulo pro hærede, vel pro possessore, potest hæres agere vel hæreditatis petitione, vel remedio possessorio; vel, si alius possideat titulo singulari, iudicio singulari agendum. Lauterb. l. c.

Quest. 743. Quid sit ommissio, repudiatio, abstinentia, hæreditatis?

1. Resp. primò: ommissio est quid quasi genericum respectu reliquorum, in quantum consistit in non acquisitione hæreditatis. estque duplex non secus ac aditio expressa vel tacita, pro ut fieri potest vel verbis vel factis; licet enim verbum ommissionis, uti & abstentionis, non tam facti quam animi sit, implicans non factum illius, qui nihil agit, ita ut testificatione vel aditione Prætoris opus non sit. l. 1. c. §. 1. 12. ff. si minor ab heredu. sed fiat sola mente; ad effectus tamen omittendi necessaria mentis declaratio, quæ fit vel verbis vel facto aliquo. ita ferè Muller. in ff. de acquir. th. 32.

2. Resp. secundò: abstentio etsi quid negativum, & repudiatio quid positivum sonet, re ipsa tamen idem sunt & significant, eosdemque effectus juris habent, ut cum communi Reiffent. b. t. num. 537. solumque in eo differunt, quod abstentio dicatur fieri ab hærede suo seu necessario; repudiatio ab extraneo juxta l. 2. c. de repud. & abst. hered. §. 2. & 6. Inst. de hered. qual. & diff. ac proinde repudiatio dicatur voluntas declarata ab hærede extraneo de hæreditate delata non agnoscenda seu amplectenda. ita ferè Lauterb. §. 35. & abstentio voluntas declarata, quæ suus hæres hæreditatem jure sinitatis acquisitam non vult retinere. l. 57. ff. de acquir. Lauterb. §. 39.

Quest. 744. A quibus & qualiter hæreditas repudiari possit, & qualiter semel repudiata acquiri, & semel acquisita repudiari nequeat?

Resp. ad primùm: hæreditatem repudiare possunt omnes, qui voluntate sua recte uti possunt, ut

ut Struv. in ff. de acquir. vel omit. vel ut Lauterb. §. 36. qui eam suo jure acquirere possunt, id est, quibus ea delata. l. 18. ff. eod. liquidem juxta dicta hereditas delata dicitur ei, qui mortuo illo, de cujus hereditate queritur, statim potest eam, si vult, adire & acquirere, vel repudiare. Sic itaque eam repudiare nequeunt, qui juris sibi competentis seu delationis scientiam non habent; cum nemo jus, quod sibi competere nescit, remississe censetur. Arg. l. 12. de novat. l. 9. de transact. Gail. l. 2. obs. 4. n. 2. §. 77. num. 5. Muller. l. c. th. 35. lit. n. Item furiosi, nisi pro tempore lucidi intervalli. l. 9. c. qui testam. fac. poss. utpote pro quo omnia, quæ sana mentis homo agere, & quoslibet contractus celebrare possunt. l. 39. de jud. L. penult. de curat. furios. Item prodigus, utpote cujus, cum furioso comparatur per l. 1. §. 40. de R. j. consensus de amittendo & diminuendo ne quidem naturaliter est validus, ut Muller. in ff. acquir. th. 35. lit. d. cum Hahn. ad Wesenb. de pactis. num. 5. v. prodigi. Idem pupillus sine tutore. l. 5. c. de repud. hered. utpote qui licet pubertati proximus per naturam consensum aliquem habere possit, ob hujus tamen infirmitatem lege jus suum remittere prohibetur. pr. Inst. de auth. tutor. Item minor sine curatore, si quem habet. l. 28. ff. de pactis. §. l. 22. c. eod. Muller. l. c. lit. 2. qui tamen carens curatore repudiare potest hereditatem. Struv. ibid. quamvis per restitutionem in integrum retractare possit. Arg. l. 3. c. de rest. in integ. Covar. var. resol. c. 5. num. 3. Zoëf. ad ff. de minor. num. 33. Item filisfamilias in præjudicium patris, & contra; ut & servus in præjudicium domini Struv. & Muller. l. c. lit. d. Lauterb. §. 36. cum per l. 133. de R. j. conditio patris & domini per liberos & servos melior fieri possit, non deterior. Item tutores & curatores soli. l. 28. ff. de pactis, quamvis id possint quandoque autoritate Magistratus. l. 14. de præd. & al. reb. minor. idque maximè quò ad personas illustres, ut ait Muller. l. c. lit. d. cum Gail. l. 2. obs. 72. n. 8. per l. 12. §. 2. §. l. 13. de administ. tutor. Item procuratores simplices. Muller. l. c. lit. n. secus est de procuratore in rem suam, seu cui in proprium commodum commissa sunt aliena negotia. l. 33. §. fin. de procurat. Hahn. ad Wesenb. cit. eod. n. 3. quippe in quem translatum omne jus, ut ipse actionibus inde competentibus in suam utilitatem experiri possit. Arg. l. 55. de procurat. l. 17. §. fin. de jurejur. Idem est de procuratore instructo mandato speciali ad repudiandam hereditatem. cit. l. 17. §. l. 34. §. 1. eod. Muller. cit. l. 1. in fine.

2. Resp. ad secundum: sic etiam regulariter loquendo, qui semel adit hereditatem, eam deinde repudiare nequit, & aditionem rescindere seu revocare. §. 5. Inst. de hered. qual. l. 3. §. seq. c. de repud. hered. idque etiam si cum beneficio inventarii adierit. Arg. cit. §. 5. l. 5. c. de O. & A. Carpz. l. 3. resp. 73. num. 3. §. 13. Muller. l. c. th. 32. lit. a. quæ ratione, quia non censetur repudiata hereditas, quia adhuc nulla erat hereditas, dum quis ante mortem testatoris expressè dixit, se nolle adire hereditatem, potest post mortem testatoris eam liberè adire. l. 94. ff. de acquir. De cætero excipitur minor, qui postquam juvenili levitate ductus hereditatem adiit damnosam; hic enim per restitutionem in integrum juvatur. §. 5. Inst. de hered. qual. §. 5. de minor. quamvis autem majorem 25. annis contra aditâ hereditatem restitui non posse, censeant Christian. decis. Belgic. vol. 4. decis. 213. n. 142. §. seq. Fab. in cod. de jure delib. def. 7. Quidò Papa. g. 473. n. 4. & DD. communiter, cum imputare sibi debeat, quòd

hereditatem damnosam adierit, eundem tamen justo errore & ignorantia lapsum adeundo hereditatem primo aspectu lucrosam, quam etiam quilibet paternam familias talem judicasset & adivisset, postea tamen inventam plenam ære alieno & litibus tententem restitutionem in integrum exaudiendum, quam æquitati & juri convenientissimum, Arg. cit. §. 5. §. l. 1. §. ult. ff. ex quib. caus. major. censeant Rebuff. ad const. reg. a. 1. gl. 1. n. 32. Bardil. de adit. hered. th. 58. Vinn. Oddus & c. & in genere posse heredem suum post abstentionem & recusationem factam paternam hereditatem adire, asserit Lauterb. th. 40. cum hac tamen distinctione ex L. fin. c. de rep. & abstent. hered. ut in casu, quo hereditas integra in suo statu, filius, non tantum durante minorennitate, sed etiam post eam per integrum septennium possit petere restitutionem; si majorennis, per triennium hereditatem adire, & recusationem suam revocare in casu verò alienatæ hereditatis minor possit petere restitutionem, non major. juxta l. 24. §. 2. ff. de minor.

3. Resp. ad tertium: repudiata semel hereditate, eadem postea adiri nequit. l. 4. c. de repud. hered. Struv. l. c. th. 34. cum ad renunciata non detur regressus. l. 14. de adit. edit. Carpz. p. 3. decis. 219. n. 11. Besold. conf. 49. n. 150. Berlich. p. 2. concl. 22. n. 59. Coler. de process. execut. p. 1. c. 6. n. 65. Sic itaque hæres hac contraria destinatione statim semel pro semper amittit jus acquirendi hereditatem; eaque vel substitutis, vel jure accrescendi cohæredibus, aut ab intestato venientibus defertur. §. 5. Inst. de bonor. possess. Lauterb. §. 38. Excipitur hic iterum minor, qui ex levitate hereditatem repudiavit, qui restituitur aliquando à pratore ut eandem adire liceat. l. 24. §. 2. de minor. Vinn. ad cit. §. 5. Inst. Oddus de rest. in integ. p. 2. q. 62. a. 2. Muller. cit. th. 32. lit. a. Potest tamen is, cui ex pluribus capitibus defertur hereditas, repudiata ex uno capite adire & suscipere ex alio. Sic si hæres institutus in testamento quâ talis repudiavit hereditatem, non prohibetur eam adire ut legitimus, seu ut sibi ex lege debitam. l. 17. 70. 77. ff. de acquir. Lauterb. Muller. LL. cit. Brunem. ad cit. l. 17. modò tamen repudiatio ex uno capite non fuerit ita comparata, ut præjudicet alteri. v. g. si hæres ut legitimus primo loco repudiaverit hereditatem, sciens se institutum esse, tunc enim utramque successionem tam testamentariam quàm legitimam repudiassè censendus est; quia hereditas certo ordine defertur, & legitima ante testamentariam repudiari nequit. AA. citati per cit. l. 17. nisi tamen, ut addit Lauterb. citans Brunem. ad l. 13. de jur. delib. ratio repudiationis generalis fuerit addita: quia v. g. hereditas, utpote multo ære alieno gravata, mihi non est utilis.

#### Quæst. 745. Renunciatio hereditatis quid & quotuplex sit?

1. Resp. ad primum: renunciatio hæc est cessio seu remissio juris, quòd quis habet aut habere potest ad hereditatem, tam etsi enim jus quærendum seu solum futurum non sit in bonis nostris, nec valeat de eo dispositio Arg. l. 2. c. de donat. spes tamen, quam ad jus futurum habemus, in pactam deduci potest. Arg. l. 3. de donat. l. 1. c. de pactis.

2. Resp. ad secundum: varia est renunciatio hereditatis, pro ut nimirum sit vel inter duos desuper patricentes; item pro ut sit de hereditate tertii; vel in genere renunciando omni hereditati, undecunque ea haberi potest; vel in specie hereditati alicujus certæ personæ. item prout renunciatur vel hereditati nondum

dum delata; seu potius spei de ea deferenda; vel jam delata. quæ posterior coincidit cum repudiatione, de qua actum *proced. 99.* Item prout fit in favorem tertii, vel simpliciter in favorem nullius. Item prout fit simplice voluntate solius renunciantis, & sine consensu alterius, vel cum consensu alterius per modum pacti vel conventionis. ita ferè Reiffenst. *h. t. n. 533.* cum Galerat. *de renunc. l. 1. c. 8. n. 6. & seq.*

*Quest. 746. An & qualiter valeat renunciatio hereditatis future alicujus adhuc viventis.*

1. **R** Esp. Primò : valet & licita est, etiam jurata, renunciatio & conventio circa hereditatem alicujus incerti viventis adhuc, seu in genere, etiam facta in favorem tertii. v. g. his verbis : Renuncio & cedo tibi hereditatem omnem, quæ mihi aliquando à quocunque obventura est. *Molin. de 7. & 7. Tom. 2. d. 412. & 579.* Sanch. *L. 7. moral. c. 2. n. 31.* Laym. *L. 3. tr. 5. c. 7. num. 3.* cum communi. Arg. *L. ff. pro socio.* ex ea ratione; quia istiusmodi renunciatio; cum nullius certi hereditas specificetur, non continet periculum voti captandæ mortis, ob quod aliàs jura prohibent renunciations & conventiones in favorem tertii super hereditate futura viventis. Quin etiam valet & licet talis renunciatio & conventio super hereditate certi alicujus adhuc viventis, ubi is in eam conventionem consenserit, & hunc consensum suum ad mortem usque non retractavit. quia, cum prohibitio talis renunciationis sit inducta in favorem viventis illius, potestis consentiendo renunciare huic favori suo. *Menoch. conf. 1. n. 166.* Laym. *l. c.* Torre. *de pact. futur. succes. l. 1. 29. n. 1.* cum communi juxta expressum textum. *L. fin. c. de pact.* Atque ita valet conventio, quæ liberi de futura patris viventis hereditate, eo sciente & consentiente ita disponunt seu paciscuntur : si dederis mihi mille florenos, cedo tibi & renuncio omnem hereditatem paternam mihi aliquando obventuram; vel si quis gratis sic renunciet : cedo in favorem hujus vel illius hereditatem paternam aliquando obventuram. *Reiffenst. h. t. num. 536.* modò tamen dictus consensus illius, de cujus hereditate agitur, adsit, dum sit renunciatio, ita ut non sufficiat, illum subsecutum rati haberi. *Torre. l. c. num. 39.* Bolognet. *ad L. fin. c. de pactis. num. 46.* Merend. *controv. l. 1. c. 18. num. 17.* & alii quos citat & sequitur *Reiffenst. h. t. num. 538.* tamen enim rati habitio retrotrahatur & mandato comparetur juxta *c. rati habitioem. de R. 7. in sexto.* Adeoque efficiat, ut actus præteritus habeatur pro valido, hoc tamen solum locum habet ubi actus cedit in solum præjudicium consentientis; non verò, ubi cedit in præjudicium tertii, vel est contra bonos mores, uti contingit in præsentem. Unde etiam licet is, de cujus hereditate agitur, ab initio facere possit, ut fiat sine delicto vel injuria, non tamen per consensum ex post secutum facere possit, ut actus talis non fuerit factus sine delicto, vel desinat esse delictum. Sufficere nihilominus consensum subsecutum, si renunciatio à principio facta expressè sub rati habitioem illius, de cujus hereditate agitur, bene dicit *Reiffenst. num. 539.* Necesse quoque est, ut dictum in *resp.* talem consensum perseverare ad mortem consentientis. dubium enim non est, quin talis consensus etiam jurato de non revocando illum præstitus, revocari valide, licet non sine perjurio, possit cum effectu, nimirum, ut tali revocatione facta, renunciatio omnino infirmetur. *Sanch. l. c. n. 18.* Alciat.

*ad L. fin. de pactis.* An verò hic consensus necessariò debeat esse expressus, an sufficiat tacitus, in eo non conveniunt AA. posterius cum aliis tenet *Sanch. l. c. n. 11.* Prius *Merlin. de pignor. l. 1. q. 40. num. 1.* Bolognet. *l. c. num. 46.* Flam. *Parif. & alii,* quos citat & sequitur *Reiffenst. num. 540.* eò quòd velint tacentem non haberi pro consentiente, dum agitur de præjudicio tacentis, quòd tamen ad summum videtur verum, dum interior voluntas seu consensus nullo facto exteriò proditur.

2. *Resp.* Secundo : renunciatio vel conventio circa hereditatem unius vel plurium viventium in specie sine hujus vel illorum consensu in favorem alterius est nulla & invalida. ira communis juxta clarum textum. *L. fin. c. de pact.* ubi & ratio additur : nimirum quia istiusmodi pactiones odiosæ videntur, & plenè tristissimi exitus, & contra bonos mores. & hæc, etiam si talis renunciatio juramento confirmata, ut habet communissima, quam tenent *Bolognet. l. c. num. 59.* Bald. *in c. ad nostram de jurejur.* Fachin. *L. 8. c. 72.* Tholof. *syntag. jur. univ. l. 41. num. 13.* Sanch. *l. c. n. 33.* Laym. *L. 3. tr. 5. c. 7. n. 3.* Galerat. *de renunc. l. 3. c. 2. num. 60. & c.* quia juramentum præstitum contra bonos mores non est obligatorium. *Reg. 58. de Reg. 7. in 6.* adeoque actum ideo nullum, quia est contra bonos mores vel jus naturale. *§. sed naturalia. Inst. de jure nat. gent. & civil.* vel quia est in præjudicium tertii. *c. 28. de jurejur.* non reddit validum. multòque minus id faceret consuetudo, si alicubi vigeret, utpote contra jus naturale & fovens peccatum. *c. fin. de consuetud.* unde dum *c. 2. de pact. in 6.* universaliter dicitur, per juramentum convalidari actus aliàs de jure nullos, id intelligendum de actibus jure nullos aliunde, quàm quia sunt contra bonos mores, vel quia fovent peccatum. Dum tamen aliqui in hoc casu præbent consensum, alii non, quia absentes sunt, renunciatio valida est respectu consentientium, invalida quò ad alios; quia est in materia separabili, & utile per inutile non vitiatur. *Reiffenst. num. 545.* cum *Torre. l. c. L. 2. c. 5. n. 67.*

*Quest. 747. An & qualiter talis renunciatio heredis noceat ejus heredibus, quibus aliàs hereditas obventura. & qualiter interpretanda, ad quæ & quousque se extendat, & quando expiret renunciatio.*

1. **R** Esp. Ad primùm talis renunciatio, quæ v. g. filia accepta dote ( quæ aliàs non impedit, quòd minus dotata adhuc succedat, cum pater teneatur dotare filiam juxta *L. fin. de dotis promiss.*) valide resignat seu renunciat expressè hereditati pro se & heredibus, juxta valde probabilem, quam tenent *Surd. l. 1. conf. 133. num. 11. & 12.* *Decius. conf. 118. & in L. pactum. dotal. de collat.* alique citati à *Fachin. l. 3. c. 23.* ex ea ratione, quòd quis quò ad bona & jura sua possit obligare hæredes, & consequenter si ita expressè paciscitur mater, nocet liberis & hi acquiescere debent. Non tamen nocet liberis, si in renunciatione nulla sit factio mentio eorum, matre ante avum & aviam eorum mortua. *Bart. in L. qui superstit. ff. de acquir.* Covar. *in c. quamvis. de pactis. in 6. p. 3. §. 2. num. 4.* Fachin. *l. c.* Azor. *Tom. 2. c. 28. num. 13.* Carpz. *p. 3. c. 35. d. 11. & alii,* quos citat & sequitur. *Reiffenst. num. 547.* contra *Surd. l. c. & Molin. d. 579. num. 4.* hoc nixos fundamento, quòd per hoc, quòd filia ante patrem & matrem suam mortua, adeoque exclusæ ab omni

omni successione, liberi illius non excludantur; cum avo & avia proprio jure succedant. Arg. *L. si quis filio. ff. de injuste ruptio*. Adde, quod filia mortua ante patrem & matrem nunquam fuerit delata hæreditas. quod dictum est de filia, idem dicendum de filio aliisque hæredibus necessariis.

2. Resp. Ad secundum: interpretanda est strictè, prout renuncianti minus præjudiciosa, nec ultra verborum proprietatem aut communem renunciantium consuetudinem extendendo. Carpz. p. 2. c. 46. d. 12. num. 6. Gail. *L. 2. obs. 77. n. 5*. Laym. *l. c. n. 2*. Joan. Torre. *l. c. L. 2. c. 15. n. 87*. Decius. *conf. 352. n. 7*. Reiffent. *n. 548*.

3. Resp. Ad tertium: non extendit se ad bona feudalia, nisi eorum expressa fiat mentio; cum ea non tam jure hæreditario, quam ex pacto primi acquirentis devolvantur. Covar. *in c. quamvis. de pact. in 6. p. 3. num. 9*. Molin. *d. 579. n. 12*. Laym. *l. c. Sanch. L. 7. mor. c. 7. num. 8*. Menoch. *conf. 16. num. 25*. Neque ad alimenta petenda à patre; cum futuris alimentis renunciare prohibitum per *L. cum his. ff. de aliment. Covar. l. c. p. 2. §. 6. n. 12*. Sanch. *l. c. num. 4*. Menoch. *conf. 71. à num. 5*. Bald. *in L. pactum. c. de collat. q. ult.* Reiffent. *num. 551*. contra alios apud Sanch. Neque ad non acquirendam hæreditatem à fratre aliòve, ad quem hæreditas renunciata pervenit; cum in tali casu non petatur aut acquiratur hæreditas paterna, cui renunciavit, sed fraterna, cui non renunciavit. Sanch. *l. c. num. 6*. Molin. *l. c. num. 20*. Covar. *l. c. p. 3. n. 2*. Menoch. *conf. 332*. Reiffent. *num. 550*.

4. Resp. Ad quartum: quemadmodum universaliter loquendo dispositio conditionalis deficiente conditione est nulla ipso jure, ita etiam renunciatio facta sub conditione evanescit deficiente conditione. Torre. *de pact. futur. success. L. 2. c. 33. §. 40*. Merlin. *decis. 253. num. 5*. Reiffent. *n. 552*. cum communi. Similiter renunciatio facta ex certa causa finali, hac non impleta vel cessante, cessat. Molin. *d. 229. §. 362. num. 12*. Torre. *l. c. c. 33. num. 24. §. seq.* Reiffent. *num. 553*. cum comm. Arg. *L. 1. c. de donat. qua sub mod. §. L. 1. ff. de condit. causâ dat.* De cætero quæ de revocatione repudiationis hæreditatis dicta supra, ea quoque hic locum habere videntur. De renunciationibus, quæ in specie fiunt intuitu ingrediendæ religionis, dicitur infra, ubi de Regularibus.

### Quest. 743. Jus accrescendi quid sit & quotuplex.

1. Resp. Primò: jus accrescendi est jus acquirendi portionem deficientis illi, qui suam agnovit, competens ei, propter conjunctionem Tabor. *de jur. accrescend. th. 2*. apud Muller. *in ff. de acquir. vel omitt. hæred. 39. lit. a.* vel aliquantò clariùs: est jus, quo portio vacans adjicitur & accrescit conjuncto ad conservandam hæreditatis indivisibilitatem & testatoris voluntatem. Lauterb. *in ff. de legat. §. fideicom. th. 60*. Sumitur ex *L. 53. §. 1. de acquir.*

2. Dicitur primò: portio seu pars, intellige, hæreditatis vel legati vel fideicommissi, vel donationis causâ mortis; in omnibus enim hisce hæc accrescentia locum habet. Lauterb. *l. c. §. 74*. quin & locus ei est in bonorum possessionibus per *L. 3. §. fin. L. 4. §. 5. de bonor. possess.* Muller. *ad ff. de acquir. th. 39. lit. y.*

3. Dicitur secundò: deficientis: nimirum absentione, omissione, repudiatione, seu vacans. qualis non est, si semel agnita; hæc enim ampliùs

deficere seu vacare, & sic jus accrescendi locum habere non potest. *L. unic. §. 2. ff. §. l. unic. c. quand. non petat.* Lauterb. *l. c.* & sic portionem ex post repudiatam legatario non accedere, ait Idem; sed pro derelicta haberi & cedere occupanti; quamvis in usufructu specialiter constitutum sit contrarium, ut nimirum portio acquisita usufructus relicti accedat alteri usufructuario per *L. 1. §. 3. ff. de usufruct. accresc.*

4. Dicitur tertio: adjicitur seu accrescit: intellige ipso jure sine ullo facto hominis, ita ut, dum accrescentia fit in hæreditate, opus non sit nova hæreditatis aditione. *L. 11. §. 3. ff. de acquir. vel omitt.* Lauterb. *ibid. §. 76*, si tamen portiones vacantes ab aliis possideantur, iisdem actionibus petuntur, quibus jam agnita. Lauterb. *ibidem in fine*. De cætero, ut Idem, iis, quibus acquiritur portio vacans, etiam ignorantibus & invitis, etsi plures sint hæredes, omnibus pro proportione hæreditaria acquiritur. *L. 59 §. 3. ff. de hæred. Inst.* Item cum onere, ita ut ad quod deficiens fuit obligatus, is, qui accrescit, præstare debeat. *L. 10. 16. 122. ff. de legat. 1.* Quò ad legatarios tamen distinguendum, ut conjunctis re etiam invitis fiat; conjunctis verò mixtim tantum volentibus. Lauterb. *cit. §. 76*. cum Vinn. *part. jur. civil. L. 1. c. 58. in fin.* Mathæi. *de success. c. 18. th. 21. §. seq.* & quidem re tantum conjunctis sine onere, conjunctis verbis tantum vel mixtim tanquam hæredibus cum onere.

5. Dicitur quartò: conjunctio: unde & jus conjunctionis dicitur. circa quod notandum, conjunctionem illam nihil esse aliud, quam duorum pluriumve ad unam eandemque rem ab uno facta vocatio. §. 8. *Inst. de legat. §. fideicom.* ita ut, dum plures ad diversas res vocati, etsi eadem oratione (v. g. dum Titio legatur una pars fundi, & Cajo altera. vel dum dicitur Titio & Cajo singulos servos lego: dum res eadem legatur duobus, ita ut eorum quilibet in solidum eam accipiat; cum tunc unus rem, alter æstimationem consequatur) non dicuntur propriè conjuncti, & in iis jus accrescendi locum non habet; uti etiam si, à diversis ad rem eandem vocati, vel etiam diverso jure successionis vocentur. v. g. Titio instituto hærede in eadem re, quæ legata est Cajo in testamento. Vide Lauterb. *in ff. de legat. §. fideicom. §. 64*. Fit autem hæc conjunctio vel à lege, unde & legalis dicitur, dum lex plures ad eandem hæreditatem vocat, vel dum jure Prætorio seu ex edicto Prætoris (qui vox viva Juris Civilis dicitur. *L. 8. ff. de §. §. 7.*) pluribus una bonorum possessio defertur. Muller. *ad ff. de acquir. vel omitt. th. 40. lit. a.* habetque ea locum inter plures hæredes, qui ex legis necessitate semper conjuncti videntur, etsi eos testator non conjunxerit; quorum uno partem suam non volente aut potente agnoscere, ea accrescit cohæredi. Lauterb. *l. c. §. 65*. Carpz. *7. F. p. 3. c. 2. d. 17*. Alia ab homine, quando ex dispositione hominis plures ad eandem hæreditatem vel ad idem legatum conjunctim vocantur. Lauterb. *§. 66*. Muller. *l. c. lit. b.* Fitque hæc conjunctio vel verbis tantum, quæ & versalis dicitur, dum una oratione plures ad unam eandemque rem æquis partibus vocantur. v. g. Titio & Cajo æquis partibus lego fundum Tusculanum. Lauterb. *§. 67*. addens, quòd hi, tametsi verbis tantum conjuncti dicantur quòd ad externam verborum conceptionem; re tamen etiam conjuncti videantur, cum ab initio singuli in solidum vocati censeantur, si ad mentem testatoris & ad unius vel alterius deficientis casum respiciamus. Vel fit re tantum, dicta conjunctio realis; dum

lin-

singuli diversa oratione ad rem unam eandemque simpliciter & in solidum vocantur. v.g. Titio fundum Tusculanum, Cajo eundem lego. Lauterb. *l. c.* quamvis addat, hos plerumque jure nostro vocari separatos & disjunctos, respiciendo ad formulam & externam verborum conceptionem. Mixta autem conjunctio est & dicitur, quando plures ad unam eandemque rem in solidum una oratione, non facta partium mentione, vocantur. v.g. Titio & Cajo fundum Tusculanum lego.

6. Dicitur denique: *ad conservandam hereditatis individuitatem & testatoris voluntatem*: per quæ indicatur causa impulsiva ad inducendum hoc jus accrescendi. Representat enim hæc individuitas personam defuncti, quæ in hærede vivere fingitur. absurdum autem est, quod quis per hæredem pro parte tantum sui sit in rerum natura. Unde necesse est, ut hæres totam hereditatem agnoscat; adeoque dum ex pluribus hæredibus institutis unus deficit, ejus jus accrescere alteri ad illam individuitatem conservandam juxta *L. si ex pluribus. ff. de suis & legitimis*. Vide Lauterb. *l. c. §. 62.* In legatis verò individua testatoris seu legantis voluntas legatum quoque individuum facit, dum unam eandemque rem pluribus relinquendo illos sibi invicem substituit, partemque vacantem reliquis deferri maluit legatariis, quam hæredibus, ne legatum pro parte agnosceretur, pro altera repudiaretur, quod fieri nequit per *L. 38. ff. de legat. 1.* Vide Lauterb. *§. 63.*

7. Resp. Ad secundum: quanquam jus accrescendi alicui distinguant in reale & personale, pro ut nimirum portio vacans vel accedit ad portionem non vacantem, vel accedit personæ; propriè tamen loquendo accrescentia illa in priore locum habet, ut pote cujus ordinaria natura est, ut portio portioni accedat imitatione juris alluvionis, non personæ, per accidens vero, recedendo paululum ab ordinaria ejus natura, fiat personale jus accrescendi ulisfructus, qui collegatario accedit, etiamsi portionem suam amiserit. Lauterb. *§. 60.* cum Suevo.

*Quest. 749. In quibus, inter quos, & quo ordine hoc jus accrescendi locum habeat.*

1. **R**esp. Ad primum: præter ea, quæ de hoc dicta sunt *quest. præced.* ad initium, locum non habet jus hoc in feudis, tam jure novo quam veteri. Muller. *l. c. th. 40. lit. a.* juxta textum *2. feud. 12. & 1. feud. 5.* dissentiente Shrad. *7. disp. feud. 1.* Item locum non habet in donatione facta à Principe, ut Tabor. *de jure accrescend. th. 22.* Duaren. *tr. eod. L. 1. c. 16.* de donatione tamen Imperatoria potius dicendum contrarium, nimirum socium liberalitatis Imperatoris ex largissima Imperatoris interpretatione alterius partem occupare excluso Fisco, cum Suevo. *tr. eod. L. 2. c. 2.* Muller. *in ff. de acquir. th. 40. lit. k.* Præterea locum non habet hoc jus in alimentis & legato quantitatis. neque in contractibus, utpote in quibus individua illa voluntas & representatio testatoris cessat, sed solum in ultimis voluntatibus. Muller. *l. c.* cum Tabor. *l. c. th. 18.* Neque etiam in testamento militis, ut pote qui pro parte intestatus & pro parte testatus decedere

potest. per *L. 2. c. de testam. milit. & L. 37. ff. eod.* Muller. cum Siru. *l. c.*

2. Resp. Ad secundum: locum habet hoc jus inter hæredes, tam ab intestato legitimos, & ex lege, sive jure civili sive prætorio succedentes, quam testamentarios seu ex testamento. extendendo hoc ipsum etiam ad hæredes hæredum, item legatarios & fideicommissarios. Lauterb. *in ff. de acquir. vel omit. §. 72.* stabiliens singula citatis pluribus. *LL.*

3. Resp. Ad tertium: deficientibus cohæredibus, venit generalis fideicommissarius, id est, cui hæres rogatus in testamento est totam hereditatem restituere. hoc deficiente legatarii & fideicommissarii particulares; quorum si plures sunt, is præfertur cæteris, cui majus seu pinguius legatum vel fideicommissum relictum, vel omnes simul, si pars omnium sit causa. post hos servi manumissi testamento secundum ordinem scripturæ. postmodum tandem hæredes legitimi, hoc est, ab intestato venientes, & post hos quilibet extraneus volens adire hereditatem, & integra legata aliæque onera præstare. ac denique, si nectalis inveniatur, venit Fiscus. ita ferè Muller. *l. c. th. 39. lit. d.*

4. Resp. Ad quartum: inter conjunctos hic ordo servatur. Primo in genere conjuncti ex dispositione hominis præferuntur conjunctis ex lege. provisio enim hominis tollit provisionem legis. *L. 23. §. 1. de legat. & fideicom.* Lauterb. *ibi §. 71.* Dein in specie, dum conjuncti ex dispositione hominis ex eodem genere seu pariformiter instituti concurrunt, prælatio non habet locum; sed pars vacans inter singulos ex æquo dividitur, nisi deficienti sit alius substitutus. Lauterb. *l. c.* si verò diversi generis conjuncti seu diversimodè instituti concurrunt. v. g. aliqui ex institutis sint conjuncti re tantum, aliqui verbis tantum, alii mixtim hæc accrescentia contingit diversimodè. v. g. deficiente uno ex mixtim conjunctis, præfertur alter ex mixtim conjunctis omnibus aliis ejusque pars soli illi accrescit per *L. 89. ff. de legat. 3. L. unie. §. 10. ff. de legat. 1.* deficiente uno ex conjunctis tantum verbis, ejus portio accrescit soli alteri ex conjunctis verbis; quia verbis conjuncti æquè ac mixtim conjuncti propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti partem sibi verbis conjunctorum hæredum quasi suam præoccupant. Lauterb. *l. c.* per cit. *L. unieam. §. 10. & L. 89.* deficiente uno ex re conjunctis, pars vacans non soli alteri re conjunctorum accrescit; sed etiam cæteris conjunctis re vel mixtim, si tales instituti in testamento adsint. ita ferè Lauterb. *l. c.* Porro num omnis conjunctio sufficiat ad hoc jus accrescendi eoque gaudeat, controversum est inter AA, de mixtim quidem, uti & re conjunctis, quod eo gaudeant, extra dubium esse, asserit Lauterb. *§. 68.* cum Franzk. *exercit. 7. q. 5.* pluribus à se citatis *LL.* utrumque firmat. de conjunctis verbis tantum id maxime controversum est. pro negativa citatis Cujac, Fabr. Bocér. & c. pluribusque *LL.* nihilominus affirmativam veriorum reputat ipse & fusè probat ac declarat. quem vide, uti & alios civilistas qui ex professo specialibus tractatibus hanc materiam, quam difficillimam & subtilissimam in Jure reputat Vultei. *ad §. fin. ff. de donat. num. 1.* & maxime spinosam. Hottom. excusserunt. ut Duaren. Taber. Rennem.